

Valens ACIDALIUS

POEMATA VARIA (4725 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition de Davidus Albertus, publiée à Breslau en 1603. Celle-ci rassemble un choix de poèmes empruntés aux oeuvres de Janus Lernutius, Janus Gulielmus et Valens Acidalius.

Valentis ACIDALII

EPICA. ROSAE. ELEGIAE. ODAE. EPIGRAMMATA.

DANIELI RINDFLEISCH BUCRETIO MEO
SALUTEM ET FRATERNUM AMOREM DICO VALENTINUS ACIDALIUS.

v.1 Bucreti Aonidumque, Apollinisque ;
2 Bucreti Charitumque Palladosque :
3 Bucreti Veneris Cupidinisque
4 amor, delictum, decus, voluptas ;
5 Bucreti, tui Acidali unicum cor,
6 una mens, anima unica, una vita.
7 En quem vix modo luminis sub oras,
8 te obstetricaque, Nixioque Divo,
9 edidi gravidi e sinu cerebri,
10 en foetum tibi debilem, caducum,
11 informem, illepidum, artubusque mancum,
12 maturum neque sat, nimisque crassum,
13 indoctorum epigrammatum libellum.
14 Qualem at cumque tamen, tui illum amore
15 conceptum unius editumque carum
16 habe pignus amoris aeviterni,
17 et nostrae monumen sodalitatis,
18 fraternae monumen sodalitatis.
19 Quod perenne quidem haud erit : futurum
20 tu puta tamen, ut meas quid esse
21 burras atque apinas soles putare :
22 ac Lucina uti partui huic fuisti,
23 porro esto Statilinus et Levana,
24 lucem quo ferat, et diu superstes

25 nostri praeco sit his ubique et illis
 26 amoris, fidei, parisque vitae.
 27 Sic vive Aonidumque Apollinisque ;
 28 vive sic Charitumque, Palladosque ;
 29 vive sic Veneris Cupidinisque
 30 amor, delictum, decus, voluptas :
 31 sic persta tui Acidali unicum cor,
 32 una mens, anima unica, una vita.

VAL. ACIDALII EPICA.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIVM, SPONSVM.

A1_1 v.1 Ergo novos iterum instituit celebrare triumphos
 2 laeta Venus, novaque ostentat jam rursus opimis
 3 cum spoliis, qua vi partis, qua fraude, trophaea ?
 4 Dic Dea, quis victus ? Tantus tibi quis jacet hostis,
 5 laetitia dignus tanta ? Et quae praeda superbi
 6 causa adeo fastus ? Pompae inque solentis honores
 7 unde trahis, curru residens sublimior aureo ?
 8 Heu, vereor ne bella iterum sollemnia nostris
 9 moveris Aonisin, castisque inimica puellis,
 10 et sese castis qui sacravere puellis,
 11 miscueris turbae imbelli tua sueta subinde
 12 proelia, fortunaque tua. Timeo heu male, jamque
 13 jam spoliium video, et nosco ! Pugnata recens est
 14 vobiscum, o Musae, pugna, et victoria vobis
 15 se solit a levitate negans contraria fugit
 16 in castra, et Veneri, constanter perfida, cessit.
 17 Jamque iterum nova de vobis en parta trophaea,
 18 incluta parta trophaea, nimisque en rursus opima
 19 ablata spolia in celebremque abducta triumphum.
 20 En iterum veterem et carum amisistis alumnum,
 21 egregium, atque diu quo vos jactastis, alumnum,
 22 unum adeo ante alios, multorumque instar, alumnum ;
 23 quem vos praecipue a prima usque aetate colentem,
 24 mutuamque a vobis concordiam foedere cultum,
 25 et multo ornatum certatim munere, vestri
 26 spem vobis produxistis certamque columnam
 27 imperii, firmamque adversus barbara saecula
 28 bellatorem, ipsumque ducem : qui altaria vestra,
 29 templaque et excelsas Sophiae defenderet arces,
 30 latius et totum proferret sacra per orbem.
 31 Hanc spem praesidiumque rapit Venus invida, et ipse
 32 non nimis invitatus sequitur, similisque volenti,
 33 et certa fugit acre fuga, nil visus amoris
 34 jam vestri meminisse, novo pellectus amore :
 35 forte nova et gaudens domina, nil curat haberi
 36 desertor dicique, et vestra ante ora triumphus

37 sic duci sibi gratatur. Gratatur, ovatque
 38 ut video, et verso neque jam vos respicit ore,
 39 vos dominas, neque nos socios ; vos tam bene semper
 40 promeritas, et nos tam sancte semper amantes ;
 41 nec me adeo, nec me ille quidem, illum respicit unum,
 42 unum illum e reliquis socium comitemque perennem,
 43 quo sine non umquem movit sese hactenus usquam,
 44 et sine quo fatalem istam (sic censeo) in horam
 45 vita illi minima fuit haud vitalis in hora,
 46 ex quo felici semel est mihi junctus in hora.
 47 Nam memini, et meminisse juvat, semperque juvabit :
 48 lustra jerunt jam bina, Arctoae ad littora Balthes,
 49 edita qua Rosei celebrantur tecta Lycei
 50 Aonio numerosa choro doctaque juvena,
 51 cum primum inter nos Musaeis vidimus hortis ;
 52 vidimus inter nos, neque longo novimus usu,
 53 et subito inter nos animis simul arsimus aequis :
 54 arsimus inter nos, atque hinc simul haesimus aequis
 55 corporibusque, animisque ; exin ego fidus Achates
 56 ad latus illi, atque ille mihi meus unus ego - alter
 57 perpetuo ; neque me quondam divellere longum
 58 improba sors potuit, divellere quamlibet ausa,
 59 cum me obluctantem Roseis pertraxit ab hortis
 60 in Gryphum nemora, et solum colere avia jussit.
 61 Frustra : assertor adest meus, injectaque repente
 62 me dextra sibi rursus illustri vindicat auso ;
 63 seque mihi reddens, et me sibi ; se sibi, mi me
 64 reddit ovans, validoque ligat per mutua vinclo.
 65 Ergo Julia nos iterum schola vidit euntes
 66 in paribus studiis, spatiis et currere iisdem
 67 aequali mirata gradu sub amoris habenis :
 68 Germani sub amoris et artis semper habenis.
 69 Plausibus ac festis nos vocibus usque salutans,
 70 addidit in cursum vires, et honore favoris
 71 flamma vit mentes, ignemque accendit in igne.
 72 Mox utrique placet Germanica linquere rura,
 73 et regna antiquae Ausoniae, terramque potentem
 74 visere terrarum dominam ; quo cura vocabat
 75 discendi, atque avidus conjuncti pectoris ardor,
 76 plurima quae nostris memorantur mira sub oris,
 77 lustrare intuitu propiore, et noscere coram
 78 singula, prudentique oculo praeconia Famae
 79 metiri, atque ipsam penito explorare recessu.
 80 Heic comites paribus votis et passibus aequis
 81 longum iter ingressi, obstantes ascendimus Alpes,
 82 intrepidique una vastas supera vimus Alpes,
 83 Alpibus et qui stat gravis aemulus Appenninum ;
 84 atque alios montesque superciliisque superbis
 85 despectas infra et pressas ad tartara valles ;
 86 et vaga tot sinuoso errantia flumina cornu,
 87 Eridanum regem fluviorum, et verius alter
 88 qui rex sit, sacro venerandum gurgite Tybrin,
 89 et qui Campanis alias taciturnus in oris
 90 amnis agens placidos leni fluit agmine cursus.
 91 Tunc erat insolita tumefactus Liris ab ira,
 92 et streperos volvens insani vorticis aestus,

93 mole urgente nimis pluvii Jovis usque rotabat
 94 praecipitem violenter aquam, metuendus adiri,
 95 transiri impatiens, certo dubiusque periclo.
 96 Sed tamen hic nostro cessit quoque lenis amori
 97 tantisper, dum securo transmitteret alveo
 98 incolumes, ripaeque adversae redderet illud
 99 dulce sodalic/9ii par non violabile cuiquam :
 100 quod veriti persaepe alii in discrimine rerum
 101 montesque, fluviique, et formidanda locorum
 102 plurima passim, ipsumque mare, Adriaci que tumores,
 103 intactum, non forte metu, sed casibus expers
 104 omnibus intentisque minis (Diis gratia) salvum
 105 et laetum vano sic dimisere periclo ;
 106 quodque tribus, dum nos fovit simul Itala tellus
 107 unanimes, annis venerata est Itala tellus
 108 Germanae specimen fidei, atque exemplar amoris
 109 Germanum agnoscens, et digno laudis honore
 110 condecorans. Illicque adeo nos ipsa, jugum quae
 111 hoc sibi nexuerant, quorumque sub auspice ductu
 112 Teutonicis pridem coeptamque actamque Lyceis
 113 militiam studii paris et concordis amoris,
 114 gymnasiis porro Ausoniis exegimus : ipsa
 115 numina nos illic nostra, o laetantia nostri
 116 numina, Pierides, aequata denique palma
 117 tam bene decursi certaminis exornarunt,
 118 inque vicem alterius victores atque suimet :
 119 et lauru irsignes fraterna tempora fratres,
 120 et geminae geminos spectandos fronde coronae,
 121 ad patrium jussere solum cum laude reverti.
 122 Tum quoque non libuit laxatum absolvere nexum,
 123 diversa que redire via. Comes impiger haesi,
 124 impiger, indivulsus, et in patriam usque secutus
 125 reddo suis, teneoque mihi, teneorque vicissim.
 126 Breslam adeo in patriam, quae mi patria altera prorsus
 127 visa fore extemplo ; et placuit consistere ibidem,
 128 atque uno remanere loco, cupiente sodali,
 129 meque volente simul. Sed enim prius illa vocabat,
 130 illa mea, Albi quae sat nomine nota Bacilli,
 131 Mercurialis amat praeferre insigne caducei,
 132 Marchia arenosis qua Dossam combibit arvis
 133 fecundam agricolis sitiens producere messem.
 134 Illa mea, et quicumque mei mihi adhuc super illic,
 135 me revidere avidi, desiderioque, metuque
 136 exanimi usque exspectantes, tandemque morarum
 137 pertaesi impatiens animo exspectare negantes
 138 amplius, ut paullum amplexu disclusus ab isto
 139 cogerer amplexu meme indulgere meorum.
 140 Atque abii, celerique gradu mea pignora visi.
 141 Sed vix vix abii et gressu magis inde citato,
 142 pace tua o genitrix, et vos fratresque, sororque,
 143 vosque omnes alii, quos mi Natura propinqui
 144 sanguinis associat nexu, queis ora brevi sic
 145 nostra fruenda dedi, neque longius ipse fruendis
 146 me vestris satians, cupidus satiarier idem,
 147 nec cupidus, raptim vixque omnibus ordine maesto
 148 rite salutatis, properans abitum atque iter urgens,

149 ad mage dulce meum pignus curamque recurri.
150 Pace iterum vestra, pignus curamque meam unam
151 dulcem exoptatamque magis : cui dulcia cuncta
152 posthabui et vestros spreui non gratus amores,
153 nec passus retineri aliis aliisque tenendi
154 injectis varie magno molimine causis.
155 Unum arsi ante omnes, praeque optavi omnibus unum,
156 et reperi rediens ante omnes unius unum
157 usque mei ardentem, praeque optantem omnibus unum,
158 ergo iterum junctisque animos et corpora junctis,
159 una quasi patria, et sedes fuit una duobus :
160 certe equidem una domus, Museum paene quoque unum,
161 unaque mensa, torusque idem, perque omnia utrisque
162 cuncta una atque eadem geminum communia in usum.
163 Nec diversa autem studia, aut aliena vicissim
164 consilia alterius : semper joca, seria semper
165 miscuimus, mensque una alterna negotia rexit.
166 Videre id multi, et stupuerunt sensibus imis
167 foedere consortis vitae, fideique perennis
168 lego nova, exemplumque novum huic socialis amoris
169 illuxisse urbi tota urbs rumore secundo
170 commemorans, gavisa sibi, gratataque nobis,
171 nobile amicitiae par caelo vexit, et astra
172 laudibus exaequare dedit Fidei astra gemella.
173 Hactenus haec et plura arcana mente reposita,
174 quae memini et meminisse juvat, semperque juvabit.
175 At versis male jam fatis, lapsa omnia retro
176 nunc video, et vidisse dolet, semperque dolebit.
177 Ille meus, meus ille, et nostrarum ille Dearum,
178 unicus ille meus, Musarumque unicus ille
179 ardor, delictumque, et non vulgata voluptas,
180 nec vulganda, decusque et honos Phoebus aemulus ipsi,
181 praesidiumque et spes, atque irreparabile fulcrum,
182 me pariter Musasque, hei me pariter Musasque,
183 mutato aversoque animo, nil tale timentes
184 destituit, subitaque fuga se inopinus utrisque
185 eripiens nudos desolatosque reliquit,
186 audax excussisse jugum cervice rebeli,
187 et frenum rupisse ferox, Venerisque capistro
188 subtractum inseruisse procax caput : o caput artis
189 jam vinclis indutum, et pressum mole catenarum
190 insolita, graviusque jugum jam ferre coactum !
191 Et tamen Aonidum imperium et mea foedera noster,
192 imperium tam mite et dulcia foedera, noster
193 spernereque, et Veneris potuit postponere duro
194 servitio, liberque in mancipii ire cupit jus.
195 Tun' (et adhuc nomen sileo, trepidoque disertim
196 edere. Cor corpusque metu, dum cogito vibrat,
197 et fugio infestum memorando augere dolorem ;
198 sed tamen ille idem cogit dolor edere nomen.)
199 Tun' Bucreti, o Bucreti carissime noster,
200 at quondam noster, nunc haud alienior ullis,
201 tun' oblite tui, et fidei pactae immemor olim
202 communes interque Deas nosque inter amantes,
203 tu me, tu nostras potuisti spernere Musas,
204 pellacem et nobis, nobis praeferre Dionen ?

205 Hoc illae meruere, hoc de te ego ? Praemia sunt haec
 206 digna mea, atque illa est illarum gratia digna ?
 207 Ibit in aevum ergo, et didet persecula fama
 208 Bucreti hoc facinus, desertum hominemque Deasque,
 209 deceptamque utrisque fidem, frustrataque vota,
 210 et spem collapsam, in nihilum et magna omnia versa.
 211 Sed parcam tibi, sed parcam tamen aequus iniquo.
 212 Tu vero invidia nostra pulsatus abunde,
 213 quando tuam in divam culpae primaria transfers.
 214 Et Veneri invidiam hanc rejicis ; da crimen herile,
 215 fare age ; qua te vi nobis, quo averterit astu.
 216 Nam neque vi sola, neque solo averterit astu :
 217 ni simul astus inest in vi, visque insidet astu,
 218 quod reor, atque aliter vinci haud potuisse videris.
 219 Sed dic ipse modum, ut veniam mereatur honestam
 220 seu tua, seu Veneris, seu culpa utriusque remista.
 221 Dic age. Quid tacitus pudibundae sanguine frontis
 222 ora notans haeres, nutuque oculisque renidens
 223 incerto mussasque sono, atque interprete dextra
 224 astantem ostendis sociatamque ad latus ipsum
 225 divamne, an cretam mortali semine nympham ?
 226 Acrius inspiciam. Quaenam illa oaurea virgo,
 227 virgo puellarum decus, effigiesque Diones
 228 ipsius, aut Charitum unius, Charitum una vel ipsa ?
 229 Jam jam adeo agnosco : certe illa est illa celebris
 230 fama pudicitiae, et castae laus incluta mentis,
 231 illa verecundae rarissima gloria formae :
 232 cujus jam nostras quoque pridem ac saepe per aure
 233 rumor iit, nomenque haud ullum clarius antris
 234 Pieriis, nullumque e virginitatis honore
 235 ipsis virginibus magis est venerabile Musis.
 236 Illa illa est, video, manifestis prodita signis
 237 Aemilia humanam supra speciem ore decenti,
 238 purpureis celebrata genis, flavente capillo,
 239 frontis eburna area, lactei prima nive colli,
 240 labrorum vernante rosa, quae sanguinis imbre
 241 roravit Venus ipsa sui, quae desuper umbrat.
 242 Liliolum nasi, menti infra stans hyacinthus
 243 fulcit, et auricularum ansata coralla coronant
 244 hinc atque hinc : media et rursus regione supinus
 245 tendit sese arcus productis usque minatus
 246 blanda superciliis, sub queis duo flammea ab orbe
 247 lumina scintillant gemino, radiisque coruscis
 248 ignea spectantum tela ejaculantur in ora :
 249 haec illa est, qua te veteris Dea callida pugnae
 250 incautum oppugnans, facile expugnavit inermem.
 251 Haec illa est, cujus te advertens illice forma,
 252 hamatis et blanditiis sermonis inescans,
 253 et morum viscato captabunda lepore,
 254 et delenifica prensans suadae ambrosiae vi,
 255 ambrosiae e toto spirantis corpore suadae,
 256 cepit in oppositum ultro omni impete rete ruentem ;
 257 optataeque bono praedae laetata, triumpho
 258 insultat vacuis, et ridet inania vota
 259 verbisque et lacrumis spoliium eheu triste sequentum.
 260 Haec illa est, facti pretium, mercesque patrati

261 criminis, ad suasum quae te corrumpere sola
 262 transfugium potuit, desertoremque coegit
 263 juratam temerare fidem et rata solvere pacta.
 264 Digna equidem merces, et quae, si fata volebant
 265 te Musis alienum, alienumque esse sodali,
 266 sola suo merito tibi, sola atque unica causa
 267 debuit aeternam fidei rescindere legem.
 268 Jamque minus, positis animis, irascimur, illa
 269 excusante, tuumque ultro exorante reatum.
 270 Largimur culpae veniam. Te junxeris illis,
 271 queis junxti Bucreti, et nos impune relictos
 272 spreveris : inque bonum, meruisti quae mala, vertant.
 273 Sis Veneris, sis Aemiliae, sis usque tuarum.
 274 Res habeant sibi nostra suas dehinc numina Musae,
 275 resque meas habeam ipse mihi : sim deinde, quod aevi est,
 276 sim meus, et Musarum, et te mittamus utrique.
 277 Vos estote meae saltem, mea numina Musae :
 278 vester ero, vestroque uno solabor amore
 279 discidium hoc, et frustrati divortia amoris.
 280 Vos pariter solamen in isto quaerite vobis
 281 devoto vobis capite, aeternumque fideli.
 282 Me me, adsum, qui constanti pietatis honore
 283 vos venerer, vos quem constante favore colatis.
 284 Me me, adsum, duplicatum in me convertite amorem,
 285 Bucreti mihi lucratum transfundite amorem :
 286 inque uno censete duos, unumque duobus
 287 aequatum reparate et damna rependite vestra.
 288 En ego, qui vestro auxilio mea debita vobis
 289 munera, Bucretique feram, geminoque labore
 290 has obiens, illasque vices, deperdita reddam.
 291 Vos date sim, qui debebat Bucretius olim :
 292 et date sim, qui, si quis et ipse ego, debeo quondam.
 293 At jam tu nobis extremo vocis honore,
 294 Bucreti fugitive, vale, et tua gaudia carpe,
 295 gaudia perpetuum o utinam mansura per aevum !
 296 Qui fluxae textam myrti de fronde corollam
 297 immortalis ausus lauri praeferre virori es.
 298 Sed vivas, vigeasque et tecum floreat ille
 299 flos aevi melioris, amoenaque gratia coetus
 300 virginei, nunc jam nuptis nova fama, maritalae
 301 exemplum fidei, atque sui stella aurea sexus,
 302 Aemilia, ingestam quam toto corde recepsti.
 303 Langias Aemilia, in penita quae mente vicissim
 304 te fovet, atque imis ardens in mutua fibris
 305 a fervore tuo requiem capit, et tibi contra
 306 fert requiem complexa suo. Jam jungite juncti
 307 complexus pariles, nexuque ambite tenaci
 308 corpora corporibus, quibus arto tramite mista
 309 commeet una anima, et vitae sincera beatae
 310 gaudia continuet vel sero intermina fini.
 311 Interea tamen et ne tota oblivia nostri
 312 hauseris atque aliquam prisco sub pectore sedem
 313 in medio Venerum nobis dignare tuarum.
 314 Noster amor, nostrique, ipsis in amoribus illis,
 315 interdum subeat tibi, sopitusque regliscat.
 316 Nos meminisse tui vel sic tamen usque juvabit,

317 et veterem, quidquid nunc est, recolemus amorem
 318 mente sub integra : nec culpa tua, improba culpa,
 319 improba culpa, tamen veniam merita improba culpa
 320 atteret imminuens vivi fomenta caloribus,
 321 quae remanent : neque primaevum longinquior aetas
 322 carpet edax, serie annosa populante dierum
 323 aut penitus nobis ignem umquam abolebit, adultum
 324 aeterna semel a Vesta, purisque micantem
 325 Pallados arcanae flammis, et virgine cura
 326 servatum assiduo Fidei custodis, in ipso
 327 interiore foco et penetranti pectoris ara.

VAL. ACIDALI ROSAE.

AD CORNELIUM MARTINUM.

A2_01 v.1 Qui tenerae tenero tener aevi in vere juventae
 2 flosculus, ambrosio totus odore fragras ;
 3 qui pubis reliquae flos illibatus, amoeno
 4 corporis et Genii dulce virore nites ;
 5 qui flos es Veneris, qui flos Suadae atque Leporis,
 6 qui flos Mercurii, Pallados et Charitum es ;
 7 qui jugo inaccesso Pindi, qui Heliconis in antro
 8 flos cluis et Phoebi, et flos cluis Aonidum ;
 9 qui flos Varniadumque unus, Roseique Roseti
 10 una Rosa, innumeris tempora nupta rosis
 11 perpetim habes ; frontemque perennibus endopetitus
 12 sertarum eximie mactus ovas strophis :
 13 quique meos unus pridem unicus inter amicos
 14 flos florentis amas esse sodalicii :
 15 Corneli, nostros potius cui dedico flores ?
 16 Cui magis hasce sacras convenit esse Rosas,
 17 quam tibi ? Cum Natura lubens tibi et ipsa, potissit
 18 si dare eo plus, jam quod dedit ante, duit ?
 19 Accipe flos florum flores florum : atque perennis
 20 flos vireasque hominum, flos vigeasque Deum.

ROSAE.

A2_02 v.1 Sic mi ergo usque inamoena habitandum obscura Vacunae
 2 antra, nec umquam erit his ferre pedem ex adytis ?
 3 Sic mi ergo usque inclatrato insultabit, et aspro
 4 usque veterosum Murcia dura caput
 5 calce premet : sacris ut inertibus altum operatus
 6 desidia aetatem mysta alacer clueam ?
 7 Sicque mea illa simul, non olim indocta sonare

8 suave melos, tersae et vel spapidum auriculae :
 9 perpetim, inornato heic suffixa in pariete, telis
 10 nervia virose sordida araneae erit ?
 11 Ah ne ita, ne Musae cupiant, nec sirit Apollo
 12 nec velit hoc triplicis Gratiae amabilitas !
 13 Quin animi mens evigila, et torpore soluto
 14 Parnassi aude iterum currere ad alta juga
 15 surge anima, et tibi vindicias tandem ipsa parato :
 16 plus satis hoc tulimus servitii arduum onus.
 17 Plus nimio, nimiumque diu jam (heu fata !) litatum est
 18 desidiae : ignavo sperne te, age, a populo.
 19 Corque poetificis rursus ignibus effer, Equini et
 20 arida labri avido labra riga haustu ab aqua.
 21 Linque umbras caveae tenebrosae, et amoena agri amoeni
 22 vere in amoeniparo jam viridaria adi.
 23 En ut se caeli diffundit amior aura,
 24 vivificoque aether cuncta tepore animat.
 25 En ut vermiculans variorum hinc germine florum atque
 26 inde se odorato daedala inaurat humus.
 27 En ut se silvarum amplis capita alta coronant
 28 frondibus, en densae ut fulgido honore comae
 29 luxuriant nemora, usque hilari quae dulce susurro
 30 adstrepitant blandi flaminibus Zephyri.
 31 En ut Dauliades, meditatae omni ante hieme, odas
 32 vere novo expromunt suavisono ore novas.
 33 Odas ! Quae mira dulcedine ut arbori aquaeque
 34 saxisque efficiunt cum auribus esse animam ;
 35 sic animam exanimem in numeros animare potis sunt
 36 et menti residui infundere dia mele.
 37 Quidni ergo in nobis etiam illum exsuscitet aestum
 38 illud epos Philomelae, illud amabile epos ?
 39 Suscitatur. Et quis io me jam rapit ardor ? Io quis
 40 me impetus ad nubes celsaque adastra levat ?
 41 Quis me ala enthea agit ? Quod mi oestrum corda fatigat ?
 42 Quo feror ? An seco terrae, aetheris an spatia ?
 43 Quis nares modo mi afflat odos jam suaviter halans ?
 44 Quae mihi perstringit lux oculorum aciem ?
 45 Dius odos ! Lux dia ! Sed o quae numina cerno,
 46 quas Divum choreas ? Quem capio aure sonum ?
 47 O quem nunc teneo locum ? Ubi sum ? Hin' Chloridos horti ?
 48 Chloridos anne horti hi ? Virginum an Hesperidum ?
 49 Ipsius an potius Cythereae haec illa Roseta
 50 roscida, quae ambrosio rore et odore fragrant ?
 51 Certe hic ambrosius roseusque odor : haecque ea certe
 52 Cypridos, haec Paphiae augusta Roseta Deae.
 53 Certe hic fons, et Acidalii unda haec lucida fontis,
 54 campi et Acidalii hi matris Acidaliae.
 55 Certe ita. Jamque rosarum ordo rutilantium et aura
 56 mi propius nares, mi propiusque oculos
 57 halitu odorato serit aurcoloque colore ;
 58 omne novaque implet cor mihi laetitia.
 59 Certe ita. Jamque Deae capiuntur lumine claro
 60 contingi atque ipsa paene manu est tagere
 61 numina, caelestesque choros : jam audire probe omnem
 62 fas vocis cantum, fas citharaeque modos.
 63 Ecce Venus rutilo resplendens frontis honore,

64 cinctaque fulgidulis hinc comam et inde rosis,
 65 altius ut medio ingreditur modo in agmine ! Ut effert
 66 se Dea ! Ut exsultat laeta per herbidam humum !
 67 Ad Veneris latus, en Veneris pulcherrimus Infans,
 68 investis, nitido sarta gerens capite,
 69 cum reliquum incedit numeroso examine Amorum,
 70 cumque Leporum omni deliciante choro.
 71 Pone sed en Heram adest Charitum illa illa aurea triga,
 72 illa illa Idalii secta pedissequii.
 73 Juxtaque en tenera Horarum glomerat manus, atque en
 74 conjugat floripari Flora nitens Zephyri.
 75 En quoque Naiadum grex, en hilaresque Napaeae,
 76 mollium et en caetus mollis Hamadryadum.
 77 En quoque se Bacchus saeptis genialibus infert
 78 cum Satyris, Panos cumque satellitio.
 79 En etiam comites fundunt se, hortosque frequentant
 80 cum suo honoratae praestite Castalides.
 81 Omnium et en sibi quisque Deorum et quaeque Dearum
 82 de horti opibus, subitis demetit unguiculis
 83 puniceasque albasque rosas : frenatque superbae
 84 luxuriam serto versicolore comae.
 85 Et jam en, vocis ad accentus et barbity eburnae,
 86 exercent laetos pectore ovante choros.
 87 En ut prosubigunt picta horti gramina planta
 88 instabili, en trepidis nant ut humum pedibus.
 89 Spectaclum o lepidum, spectaclum o aureum ! Et aurei
 90 spectaculi ante aurum deliciae aureolae !
 91 Scilicet haec Veneris roseae, Cypriique Roseti,
 92 haec Cyprii floris, more sacro Cypriae,
 93 annua festa horto in Cyprio, a Cyprio grege, et a Diis,
 94 quos Cypriae aut floris tangit honos Cyprii ;
 95 solemni ritu ac pompae solemnis aguntur
 96 cum strepitu, et multo cum sale, cumque joco.
 97 Scilicet haec ea festa, hoc spectaclum illud, et illae hae
 98 spectaculi lepidi deliciae lepidae.
 99 Felices nimium flores ! nimium o felices !
 100 Queis datus a Superum numine tantus honos.
 101 Felices nimiumque Rosae ! O nimiumque beatuae !
 102 O florum reliquo prae reliquum genere
 103 sorte nimis pulchra decoratae insigniter ! O quae
 104 conferri vobis herbae stirpsve queat ?
 105 Vos florum omnigenum, vos plantarum omnigenarum
 106 reginae, hortorum vos decus atque oculus ;
 107 vos terrae sidus, vos unica et una voluptas,
 108 vos unumque hominum delictum atque Deum.
 109 O ego si vestros versu queam amabili honores
 110 aequare, et dignis digna sonare tonis !
 111 Quam mihi non cupiam, gemmarum omnis Tyrii undae
 112 quod freti habet, quod fulvo auri habet amne Tagus.
 113 O ego si vestro tantum juvenilia flore
 114 innexa assiduo tempora habere queam !
 115 Quam reliquas spernam illecebras, quam vile mihi omnis
 116 luxus ; quam mihi nil, quod volup est aliis.
 117 O ego si vestro satiari totus odore
 118 possim, si vestra perfrui et usque anima !
 119 Quam exoptem in nasum unum omni me corpore abire,

120 solus uti sensus sit mihi solus odor.
 121 Ecquid enim vestro usquam alibi spiramine spiret
 122 suavius ? Ullum alid huic par ubi delictum !
 123 Non se Arabum copes succi, non germina vobis
 124 Indica, Panchaei haud ruris opima seges ;
 125 non sese Assyriae componant unguina, non si
 126 quidquam alio Natura orbe genit melius.
 127 O ego si vestros possim usque videre decores ;
 128 quam omnia mi Argi acres membra velim esse oculos !
 129 Dum modo conifero caput haec adoperta galero, hinc
 130 rupta apicem, extremo vix hiat e calice :
 131 mox foliorum artos late diducere amictus
 132 incipit, et rutilis se numerare comis.
 133 Altera candidulo frontem exornata decore,
 134 emicat argenteis, plena pudore, genis.
 135 Altera nativo se pingens murice, spargit
 136 ardentem aureolo purpuram ab unguiculo.
 137 Illaque et illa intus crocinis sic incluta filis
 138 fulget, Phoebeos provocet ut radios.
 139 Certe equidem seu vos generi Japeti ipsa Dione
 140 olim basiolis extulit e propriis,
 141 dum Dea commendat felicibus oscula glebis,
 142 oscula flammeolis vivida spiritibus ;
 143 seu vos, Diis ipsis nova gaudia, pro Ganymede
 144 dum ad cyathos praesto est forte Cupido Jovis,
 145 nectaris effusi temere arva in Chloridos et, qua
 146 nata Venus, spumae nobiliore satu
 147 edidit : unde seges tam deliciosa repente
 148 caelestes dulci messe beavit heros ;
 149 seu quicumque Deum quocumque e semine (nam non,
 150 non a mortali ducitis ortum opere)
 151 primitus aetherae eduxit vos lucis in oras,
 152 tale deditque orbis totius esse decus ;
 153 certe equidem Cypria ipsa suo vos vulnere pinxit,
 154 ipsa suo tinxit sanguine vos Cypria ;
 155 ipsa Venus, certe ipsa : ubi carum ante omnia Adonin
 156 letifero fixum dente ferocis apri,
 157 nequidquam, heu, nequidquam infelici incita cursu,
 158 semianimem ab Stygia tendit aqua asserere.
 159 Fas mihi, fas Veneris veterem renovare dolorem
 160 hac geniali adeo in laetitia Veneris.
 161 Ede lyra, Assyrii ut pueri acri intabuit igne
 162 Cypris : quem Cyprus magna patre e Cinyra,
 163 Myrrha matre tulit, ab avo natum atque sorore,
 164 praestantem formae dotibus egregiis :
 165 cui membris decus adflarat natura superbum,
 166 et dederat coetus virginei esse facem.
 167 Huic Venus unanimo insanum succensa furore
 168 dicitur insolito deperiisse modo.
 169 Hunc Dea vel Marti antetulit : prae hoc alta Cythera,
 170 prae hoc sordere Cnidus, cumque Amathunte Paphos.
 171 Hoc prae uno stellati etiam picta atria caeli,
 172 hoc prae uno vilere intima et aula Jovis.
 173 Illi, sive oriente die Sol tolleret igneum,
 174 seu moriente, caput mergeret Oceano ;
 175 illi perpetuum comes ibat ; et assiduo una,

176 accubuoque una degere dulce fuit.
 177 Quin neque, cum in saltus abiens inculta ferarum
 178 per lustra hic rapidis praedam ageret canibus,
 179 ipsius unguem abiit minimum quoquam a latere : usque at
 180 saxa per et silvas perque juga insequitur,
 181 venatrix : nec ferre pudet quoque retia divam,
 182 caelestesque atra tinguere caede manus.
 183 Ah, pereat pereat, qui primus retia, primus
 184 invisa invisas texuit arte plagas !
 185 Inde heu orta infausta infausti semina belli,
 186 inde heu mortiferi orta exitii atra seges.
 187 Inde heu heu miserae miser, eheu, Cypridi Adonis
 188 perditus ; inde eheu exanimem exanimis
 189 monte infelici Cytherea adspexit Adonin
 190 fundere purpuream cum anae cruento animam.
 191 Illum immanis aper ; solitis dum in montibus errat
 192 venatu et solitis tempora dans studiis ;
 193 correptum ante plagas letalis acumine dentis
 194 icit, et ictum albo sauciat in femore.
 195 Cui ut subitam festinat opem Venus alite cursu,
 196 perque inculta amens praecipitat juga iter ;
 197 ecce ruentis iniquo infestat candida morsu
 198 crura, sacrosque acris spina pedes violat.
 199 Spina acris : quam supra hamatis sentibus haerens
 200 vernabat niveo multa colore rosa.
 201 At Diva ut tenerum manare e vulnere sanguen,
 202 stillare et dios crura videt latices.
 203 Largifluique rubos aspersione undante cruoris
 204 tinguier ; omni corde imitus ingemuit.
 205 Cum gemituque rubis simitu indignata malignis,
 206 pluria dixit in hos verba repente mala.
 207 " Mox tamen, haec, lacrimans ait, haec mi grata doloris
 208 signa mei, et testes perpetim amoris erunt.
 209 Perpetim erunt. Quaeque ante adeo candore placebant,
 210 ornatu insignes unicolore rosae."
 211 Desierat. Vitreasque abstergens lumine guttas,
 212 ilicet hinc properans carum ad Adonin abit.
 213 Illa abit. At sparsi Cythereae sanguine dumi
 214 hinc cito sanguineis suave rubent foliis.
 215 Qualiter ingenuae cum mutant ora puellae,
 216 occupat albentes purpura pura genas.
 217 Qualiter aut, Tyrio si quisquam inverterit ostro
 218 Indum ebur, id jussam se induit in faciem.
 219 Aut strictura velut chalybe in candente ardescit,
 220 aut matutino ut Leucothee ore rubet.
 221 Inde, Rosae, heic illic ampli omnia per spatia orbis
 222 effertis gemino floris honore caput.
 223 Inde, Rosae, divum omnium amor, tutelaque divum ;
 224 sed Veneris tutela unica praecipue.
 225 Unica praecipue Veneris cura, una voluptas,
 226 praecipuo quae vos una colit studio.
 227 Quae vos tergemina Eurynomes cum prole fluenta ad
 228 alma perenniflui nutrit Acidalii.
 229 Quae vos felici celebrat solemniter horto,
 230 festaque sic vestro nomine gaudia agit.
 231 Ipsa et vos saeptis vestri studiosa maritis

232 deliciosa horti ante omnia, Chloris alit.
 233 Ipse et vos Bacchus colit unice ; et ipse adeo omnium
 234 primum olim vestris primula de foliis
 235 vina bibit, flagranti actus fragrantia odoris
 236 nectareoque sapore ocius in furias.
 237 Idem dapsilibus vos intertexere sertis
 238 princeps, et comptis ponere temporibus
 239 edocuit ; seu quando homines conviviam mensis
 240 laeta agitent, agiles seu celebrent choreas.
 241 Quin idem laesorum ad pulvinaria postas
 242 caelitum, Olympicolis vos dare munera heris,
 243 terrigenisque offensi avertere numinis iras,
 244 et pacem instituit conciliare novam.
 245 Quid memorem ? Ut Phoeboque Novensilibusque deabus
 246 carmine pro doctoserta, operae pretium,
 247 ipsi etiam Vates de vestris plectere suerint
 248 floribus, Aonii ferreque ad antra jugi ?
 249 Cetera quid memorem ? Quae perpes adorea famae
 250 praepete fert celsa ad nubila remigio ?
 251 Hoc sed qui sileam ? Ut generi mortalium acutos
 252 de affecto morbos corpore vi medica
 253 saepe repellatis, certaue ope desubito aliam
 254 praesentes sitis reddere temperiem.
 255 Hoc sed qui sileam ? Ut post fata quoque ultima nobis
 256 ad miseri atratas funeris exsequias
 257 justa sepulcrali faciatis munere, et ipsos
 258 functorum ornetis perpetuo tumulos ?
 259 Vos ego, si forsit nostro ulla in gratia versu,
 260 pro meritis versu rite canam usque meo.
 261 Vos ego, vos aeterno ego devenerabor honore,
 262 vos indefesso pectore et ore colam.
 263 Vos ego mi malacae usque in texta viebo corollae,
 264 vos mihi inumbrata fronte geram inclutum onus.
 265 Vos ego decerptas manibus sine fine fovebo,
 266 vos avidis semper naribus olfaciam.
 267 Vos oblectamen cerebro, vos nobile menti
 268 protelum in melicis usque eritis modulis.
 269 Nempe peregrinis alii oblectamina terris
 270 quaerere eant, patrio e quos juvat orbe nihil.
 271 Vos dum habeam, nae mi jaceat despecta vel ipsa
 272 India cum Assyria, Media cum Arabia.
 273 Usque adeo nulli prae vobis sit pretium ullum,
 274 nullum adeo externis stet decus illecebris.
 275 Sed quid ? Num heic etiam haud parte omni firma voluptas ?
 276 Num heic etiam quod nos cordolio angat, adest,
 277 scilicet unum istud nimium merito queri habemus,
 278 flori adeo eximio esse aevum adeo exiguum !
 279 Natura, alma parens rerum, sicne unicus ille
 280 terrae oculus, terrae tam brevis est oculus ?
 281 Siccine flos florum tantillo tempore florens,
 282 vix, vix cum incipit esse, incipit esse nihil ?
 283 Ha, Natura ! En vix primo qui se exerit ortu
 284 mane novo, ut sero vespere demoritur !
 285 Aut, quando stellarum et caeli infamia sic jam
 286 arva per immodico Sirius igne rabit :
 287 en quem nascentem rutilo Eos spexerat ore,

288 ut denascentem Sol medio axe videt !
 289 Ha, sicne ostentas simul et rapis ! Ha, quid id, illum ut
 290 adferat una dies, auferat una dies ?
 291 Debueras merito dare ei diuturnius aevum,
 292 digno, quem haud aetas ulla senecta gravet ;
 293 digno, qui nobis annum florere perennem,
 294 et numquam fluxis stare queat foliis.
 295 Nunc eheu terra ipsa brevem conquesta virorem
 296 luget, inornatos ferre negatque rubos !
 297 Nunc, eheu, pueri mecum pueraeque quiritant,
 298 condita tam blandis tam spatia arta rosis !
 299 At vos o pueri mecum, et vos virgineus grex,
 300 mittite Naturae non bona verba loqui.
 301 Dumque licet, legite ungue rosas, stipate quasillos,
 302 flore gravate sinus, flore gravate comas.
 303 Dumque licet vestri fructus decerpente veris,
 304 a tergo aetatis ninguida jam instat hiems.
 305 Verculum enim hoc ut abit, redit et pede bruma volucris :
 306 sic aevi humani curriculum omne volat.
 307 Et veluti rosei cito flaccet gratia floris,
 308 hirtaque collapsis spina manet foliis ;
 309 gratia sic formae subito, sic vivida Virtus
 310 corporis exsuccis defluit articulis.
 311 Denique Morta feris vitam sicelicibus ipsam
 312 eripit, ut florem torrida flamma necat.
 313 Qui sapit, expendens mortalis nomina saeculi,
 314 seque Rosam, et sibi Ver noverit esse fugax.

VAL. ACIDALI ELEGIARUM LIB.I

CUNAE NATALITIAE CHRISTI SALVATORIS. I.

A3_01 v.1 Quis puer hic ? Quae cunae ? Et circum turba virorum ?
 2 Quae pecudes ? Quae vox laeta per astra sonat ?
 3 Ten' video, divine puer, dulcissime Jesu,
 4 edite caelesti de Genitore Deus ?
 5 Ten video, cunasque tuas ? Tune, optime Christe,
 6 edite mortali de genitrice puer ?
 7 Tune ades ? Eia venis, ades eia, o nobilis hospes !
 8 Eia ades o hospes nobilis, eia venis !
 9 Ecce jaces laceris puer optatissime cunis,
 10 ponis et in duro membra tenella toro.
 11 En te casta sinu infusum matercula casto
 12 molliter amplexu brachiolisque fovet.
 13 En fovet ipse senex Josephus, et aspera brumae
 14 frigora sollicitus, qua licet arte, fugat.
 15 En tibi pastores ovium, quibus aethere summo

16 nuntia natalis vox data laeta tui,
 17 adstant, et tenera ludentes carmen avena
 18 laetisonis solvunt ora canora modis.
 19 En brutae pecudes nutuque et poplite flexo
 20 alludunt pedibus, sancte puella, tuis.
 21 Aspirantque pio praesepe ore vaporem,
 22 ne laedant tenerum tristia flabra laterus.
 23 En etiam angelici pars ad cunabula coetus
 24 funditur, officiis officiosa suis :
 25 pars choreis plausuque et cantibus aera purum
 26 rumpit, et insolito gaudet, ovatque modo.
 27 Et nos ergo tibi puer, o puer, unica mundi
 28 laetitia, humanae gentis et una salus ;
 29 et nos pauca decet solemnem carmina versu
 30 jam canere, et cunas concelebrare tuas.
 31 Fas agitare piis animis pia gaudia, fas nunc
 32 rite tibi grates solvere mente pia.
 33 Fas tua supplicibus sterni ad praesepe votis,
 34 fas libare tuis oscula sancta genis.
 35 Ecce ego supplicibus veneror praesepe votis,
 36 ecce ego libo tuis oscula sancta genis.
 37 Sed quo te ore canam ? Tua qua cunabula voce,
 38 quo versu, seu quo laudis honore feram ?
 39 Adspicio rigidum stabuli miserabilis antrum,
 40 tecta que nutantis jam ruitura case.
 41 Adspicio squalorem atri tenebrasque bovis,
 42 expositi ventis, expositique nivis.
 43 O miseram rerum faciem ! Tene edite caelo
 44 Rex caeli, obscuro sic recubare specu ?
 45 Cunae, infelices cunae ! Nonne atria Regum
 46 splendida, et augustae vos decuere domus ?
 47 Atria sed vobis, antra haec, atraeque latebrae ;
 48 hoc tuguri culmen pauperis, ecce domus.
 49 Hocne tibi, hoc stabulum, puer alme, cubilia praebet,
 50 qui Deus es terrae, qui Dominusque maris ?
 51 Cunae, infelices Cunae ! Vos fundier auro,
 52 vos Parium marmor, vos ebur esse decet.
 53 At vile en lignum, en rigida rudis arbore truncus,
 54 en praesepe estis, phatna misella boum.
 55 Cunae, infelices cunae ! Vos fulcra decebant
 56 mollia, et Attalici pluma superba tori :
 57 ecce sed ingrato cum caespite stramen habetis,
 58 et carex Pueri pungit acuta laterus.
 59 Cunae, infelices cunae ! Vos pulchra decebat
 60 stragula, vos roseo tegmina picta croco ;
 61 vos variata Phrygum nitido velamina textu,
 62 vos Serum artificii vela operata manu ;
 63 vos Sindon Tyria atque ostrum, gemmaeque coruscae,
 64 dives ab Eoa quas legit Indus aqua.
 65 At sparsi hic fragiles calami, sparsa ulva palustris,
 66 aridaque exsuccis graminis herba jacet.
 67 Cunae, infelices cunae ! Vos florea messis
 68 debuit ornatu condecorare suo.
 69 Vos molles violae, vos purpurei narcissi,
 70 cumque amarantaeis laurea sertae comis.
 71 Vos casiae aureolae, vos lilia, vos hyacinthi,

72 vos decuit nardus ; vos decuere rosae.
73 Ast horum nihil est : sed adest ignobile fenum ;
74 fenum est, sed feni vix etiam sat adest.
75 Cunae, infelices cunae ! Vos nimbus odorum
76 debuit hinc laeto spargere et inde loco :
77 vos favus ambrosius dulci perfundere succo,
78 vos niveo Assyrius tingere rore liquor ;
79 vos simul infantemque aura mulcere salubri
80 halitus eque polo debuit, eque solo ;
81 heic virides lauros et olentes urere cedros,
82 hunc ferre ad lectum fas erat omne nemus.
83 Ast horum nihil est : lepidum nihil inter asellos,
84 inter et immundos nil geniale boves.
85 Cunae, infelices cunae ! Pulchra omnia vobis,
86 vobis delicias, divitiasque suas,
87 thuriferis debet Panchaia pinguis arenis,
88 debet et auriflui lymphae beata Tagi ;
89 vobis quidquid habet segetum felicibus arvis
90 Medus, et intacta merce opulentus Arabs ;
91 vobis quidquid humus gremio fovet omnis in imo,
92 et mare, debetur, quidquid et unda tenet.
93 Ast horum nihil est : nihil est nisi tristis egestas :
94 tristis ; et omnigeni pondere pressa mali.
95 Vilia vix dantur magalia ; vix datur arta
96 matri cum puero delituisse casa.
97 Vix datur imbelli prohibere a corpore frigus,
98 vix vitare Eurum, vixque cavere nivem.
99 Vos tamen absque illis Cunae o bis terque beatae :
100 sat tamen o vobis fata benigna favent ;
101 dum puerum amplexu vestro teneatis Iesum,
102 nobilius quo nil, prosperiusque nihil.
103 Non vos dura gravant fortunae incommoda : vobis
104 nobilius nihil est, prosperiusque nihil.
105 Cunae, o felices cunae ! Quem maximus orbis,
106 quem mare, quem superae non capit aula domus :
107 vos capitis Regem et dominum, quem maximus orbis,
108 quem mare, sidereae quem tremit aula domus.
109 Cunae, o felices cunae ! Vos pauperis antri
110 dede, et stramineo conditis, ecce, toro,
111 quem non tot populi, non excepere tot urbes,
112 non tot magnificis atria structa locis.
113 Cunae, o felices cunae ! Vos parvulus ille
114 hospitium voluit dulce parare sibi.
115 Vos vos prae reliquis tanto dignatus honore est,
116 et clarum toto nomen in orbe dedit.
117 Cunae, o felices cunae ! Vos unicus ille
118 thesaurus mundi terrigenumque premit.
119 Ille puer, puer ille, in quo quae perdita quondam
120 primaevi lapsum per genitoris erant ;
121 ille puer, puer ille, in quo jam reddita nobis
122 omnia, et auxilio sunt reparata novo.
123 Cunae, o felices cunae ! quis corpore parvo
124 maximus ille heros, optimus ille, jacet.
125 Ille heros, misero venit ille salutifer orbi,
126 indebitata Virgine natus homo.
127 Ille en mortales Deus immortalis in auras

128 prodit et humani corporis ossa gerit.
 129 Cunae, o felices cunae ! Queis unica nostri
 130 spes generis, requies una, salusque cubat.
 131 Ille opifer nos aeterna de morte redemit,
 132 et vetuit Stygiae regna subire plagae.
 133 Ille opifer nobis aeternae munera vitae
 134 reddidit, et caeli jussit adire domum.
 135 Cunae, o felices cunae ! Quae gaudia tanta,
 136 inque aerumnosam tot bona fertis humum.
 137 Cunae, o felices cunae, nimiumque beatæ !
 138 Cunae o, queis caelo gratia tanta venit !
 139 O cunae, queis nec totus certaverit orbis !
 140 Cuncta nec astriferi sidera clara poli.
 141 O utinam vestri mihi pars extrema decoris !
 142 O utinam vestri portio parva boni !
 143 Tuque, o Christe, meo jam nunc illabere cordi !
 144 O, puer alme, veni, Jesule sancte veni !
 145 En heic, blande puer, cunae, en praesepia nostri
 146 pectoris, en animi scrinia aperta mei.
 147 En haec templa subi, nec dedignare vocantem :
 148 heic habita, heic firmam tu tibi pone domum.
 149 Me conjunge tibi, mihi te conjunge per aevum,
 150 ut meus aeternum sis, maneamque tuus.
 151 Sic ego te, cunasque tuas celebrare studebo,
 152 dum terram, e terra raptus et astra colam.

NOX JESU CHRISTO SERVATORI NATALIS. II

A3_02 v.1 En iterum medio glacialis frigore brumae,
 2 Christe puer tenera Virgine natus ades.
 3 En iterum tua festa novo celebranda sub anno
 4 ducis, et ad cunas quemque venire jubes.
 5 Adsum, sancte puer, cupidisque amplexibus ultro
 6 brachia in adventum tendo parata tuum.
 7 Ad tua prostratus genibus cunabula flexis
 8 grata tibi grato pectore dona fero.
 9 Carmine solemnè meritas dum pangere laudes
 10 nitor, et arguta fundere voce melos.
 11 En tibi pervigilem, Jesu dulcissime, Noctem,
 12 primula quae cunis fulsit oborta tuis,
 13 pervigili meditor studio celebrare ; canentem
 14 tu modo si dextro rite favore juves.
 15 O ades, atque juva placidus : tu suffice blandos,
 16 vere pater Vatum, maxime Phoebe, sonos.
 17 Tu vivis anima numeris mea carmina ; tu da,
 18 in certos veniant libera verba pedes.
 19 Sic te digna canam dulci praeconia versu,
 20 sic fluet ingenii limpida vena mei.
 21 Ergo soporiferis Nox o pulcherrima bigis
 22 scande modo aurati templa serena Poli.
 23 Funde age jucundas terris optantibus umbras,
 24 et renova tenebris gaudia laeta tuis :
 25 gaudia, quae quondam toti laetissima mundo,
 26 prima dabas, summi nuntia prima boni ;

27 cum puer e gravida matris foret editus alvo,
28 unica spes hominum Christus, et una salus.
29 Diffugiant nigrae toto procul aethere nubes,
30 purior et cunctis rideat aura locis.
31 Flabra premat Boreas, et durum saeva rigorem,
32 cum nive, cum gelido frigore, ponat hiems.
33 Sidera, quae variis distinguunt aethera gemmis,
34 lumine jam solito splendidior micent.
35 Qualis erat caeli facies, ubi candida virgo
36 tempora jam partus cerneret ire sui :
37 Virgo gerens plenum caelesti numine ventrem ;
38 nescia mortalis virgo pudica viri.
39 Illa Dei sobolem nixu paritura beato
40 ponere maturum dum meditatur onus ;
41 dum gelido vigilans laceri sub culminis antro
42 exspectat caeli subvenientis opem.
43 Adque Deum sanctas ardenti pectore plamas
44 tendit, et Augusto fundit ab ore preces.
45 Interea celeres properans absolvere cursus
46 ingreditur mediam nox tenebrosa viam.
47 Undique jam dulcis, placido mortalia somno
48 corpora mulcebat fessa labore, quies.
49 Quaesitumque inter nemorum fruticeta soporem
50 praebebant tacitis abdita lustra feris.
51 Jam genus alituum muta sub fronde quiescens,
52 nulla repercussa carmina voce dabat.
53 Alta per et silvas, rigidosque silentia montes ;
54 nec strepitus campis, nec sonus ullus erat.
55 Spirabant tenues nullo cum murmure venti,
56 mitior et vacuis aura silebat agris.
57 Quique ferox Pontus furioso tunditur Euro,
58 leniter instratas ire videbat aquas.
59 Quin etiam magno subter labentia mundo
60 volvuntur tacitis sidera cuncta viis.
61 Usque adeo tranquilla silent, Dominoque ministrant
62 singula ; sic justo cuncta tremore pavent.
63 Miranturque novi mysteria maxima partus,
64 dum Deus humano corpore visit humum.
65 Virgo sed en utero media inter vota soluto
66 salvificum mundo molliter edit onus.
67 Edit onus Virgo. Nec jam mora : conscius aether
68 signa dat, et summa protinus arce tonat.
69 Plaudit io caelum, clangoribus insonat Orbis ?
70 Omnis io plausu terra sonante salit !
71 Exsultant vallesque cavae, collesque supini,
72 silvaeque frondentes concutit alta comas.
73 Flumina conversos stupefacto gurgite cursus
74 sistunt, et trepidans lenius unda fluit.
75 Plaudit avis penna, viridisque per avia silvae
76 insolitum suavi concinit ore melos.
77 Omnia laetantur : ridet liquidissima mundi
78 forma ; nitent agri, prata serena micant.
79 Aurea lux tota radiis fulgentibus aethra
80 surgit, et ardentes spargit ubique faces.
81 Hinc etiam festas meditatur pura choreas
82 Cynthia, nec maculis dat superesse locum.

83 Quam circum tremulis ludunt radiantia flammis,
84 et nitidos ducunt molliter astra choros.
85 Exsultant Hyades rutilae : sua plaustra Bootes
86 aurea, et auratos conspicit ire boves.
87 Tum primum Erigone miseri post fata parentis
88 visa fuit gemitus deposuisse suos.
89 Ipse quoque arridens, non jam crudelis, Orion
90 mite cruentato liberat ense latus.
91 Parva loquor. Forte et pastores montibus illis
92 servabant clausos saepta per arta greges.
93 His niveus summo veniens adsistit Olympo
94 angelus, et trepidis nuntia laeta refert.
95 "Ite viri : supera vobis Servator ab arce
96 natus in humana carne videndus adest.
97 Pergite Davidicae propere sub moenia Bethles,
98 et date jam Regi munera vestra novo."
99 Dixerat. Hi properant : fugit ille ad culmina caeli,
100 ambrosioque omnem spargit odore locum.
101 Continuo magnum visi per inane volatus,
102 et simul angelici densa caterva chori.
103 Fit plausus, reboat laetis discursibus aer :
104 ictaque jucundis perstrepat aura sonis.
105 Dulcia caelestes pangunt praeconia coetus,
106 et pia sublimi carmina voce canunt.
107 Unus erat cantus : "Sit gloria summa Tonanti,
108 pace nova tellus, pace triumphet homo."
109 Responsant nemora et montes, campique jacentes
110 unanimi plaudunt per loca cuncta sono.
111 Haec inter studia et magni solemnia mundi
112 gaudia, nox cursus finit abacta suos.
113 Nox, qua nec superis, nec qua mortalibus umquam
114 laetior ; aut mundo gratior ulla fuit.
115 Nox longe ante alias fortunatissima noctes ;
116 nobilis ante homines, nobilis ante Deum.
117 Haec nox illa fuit, multos quae festa per annos
118 semper erat puris concelebranda sacris.
119 Haec nox Isacidum generi seroque nepoti
120 una per assiduas usque petita preces.
121 Haec desiderio patrum exoptata piorum,
122 haec spes sollicitis vatibus una fuit.
123 Haec illa est primis promissa parentibus, orbem
124 vix ubi condiderat dextera magna Dei.
125 Scilicet ex casta qua Virgine surgeret Heros,
126 et Deus et vero corpore verus Homo.
127 Qui labem proprio mersurus sanguine nostram
128 irato caderet victima justa Patri.
129 A quo Mors, Satanas, peccataque victa jacerent ;
130 nobis certa salus, et nova vita foret.
131 Natus io nunc ille ! Et io Nox illa salutis
132 largitrix fausto venit amica gradu.
133 Inclita nox salve, nox optatissima salve :
134 o nox ante omnes nobilitata dies.
135 Se lux nulla tibi, non magni sidera caeli,
136 non radiis Titan conferat ipse suis.
137 Tu siquidem veris fons luminis, undique densis
138 quo sine nos tenebris nox inamoena premit.

139 Tu mundi Solem generas, radiisque serenis
 140 perpetuae monstras dulce salutis iter.
 141 Tu lux una viae, sine te quam cernere nemo,
 142 et pede sollicito carpere nemo potest.
 143 O nox laetitiae genitrix, pacisque beatae
 144 dives ; et aeternis nox opulenta bonis ;
 145 tu miros adeo partus, tu primula sentis
 146 vagitus, tenero quos dedit ore puer.
 147 Tu mundi plausum citius pastoribus ipsis
 148 adspicis, et laeti júbila festa poli.
 149 Tu matrem, tu sollicitis certantia curis
 150 matris in ardenti gaudia corde vides.
 151 Tu miseras miserata vices, tam paupere forma
 152 dum jacet adspectu vilis inopsque puer ;
 153 optasti rutilum praesaepia vertere in aurum,
 154 adque latus picti ponere strata tori.
 155 Pro stipula ut molli positus requiesceret ostro,
 156 debitus et regni nullus abesset honor.
 157 Salve iterum nox cara Deo, nox prospera mundo,
 158 nox omni potior nobiliorque die.
 159 Salve, et curriculo nobis revoluta secundo
 160 saepe redi versu concelebranda novo.

MAGNIFICIS VIRIS JOANNI MATTHAEO WACKERO, NICOLAO RHEDIGERO, JACOBO MONAVIO.

A3_03 v.1 Janus adest, strenasque suis properare Kalendis
 2 admonet antiqua relligione novas.
 3 Jamque calent studia, et quae suevit amicus amico,
 4 patrono tenuis munera grata cliens,
 5 quisque ferunt : hincque officiis solemnibus atque hinc
 6 certat in alternas aemula turba vices.
 7 Et mea cessat adhuc strenis instrenua, prisci
 8 moris et officii oblita sui pietas ?
 9 Evigila et tardum, mea Musa, expelle soporem
 10 auspicio lucis sub meliore sacrae.
 11 Excitat annorum dux Janus, et huic comes haerens
 12 Strena : te nymphae, te sociam adde Deo.
 13 Dumque suis alii studia et votiva frequentant
 14 munera, ne desis sola caveto tuis.
 15 I, carosque meos mihi patronosque saluta,
 16 quo potes et dono sedula quemque cole.
 17 Stasne etiam ? Et laceris brumale iter horrida pannis,
 18 an tot, egens ultro, munera danda times ?
 19 Nam sane et grave frigus, et est annona gravis nunc
 20 strenarum : nudo praecipue et vacuo.
 21 At tu ne trepida : ad paucos te mitto, nec illos,
 22 non nisi quos longa sit tibi adire via,
 23 nec nisi cum culta tunica, donoque superbo ;
 24 sed mage qui dono te tunicaque beent :
 25 insuper et notos tibi noscentesque vicissim,
 26 grata salutatrix et quibus hospes eris.
 27 Defungi poteris, saltem tu fungere, paucis,
 28 et sis officii fida ministra mei.
 29 Tres colo praecipuos, tres praecipue usque colendos

30 hoc, licitumque alio quo mihi cumque modo est.
31 Tres Silesiacaе stellas, tria numina terrae :
32 unica quae nostri triga patrocini.
33 Dum memoro, munibo viam tibi praevis, ipsos
34 et simul affatu conciliabo meo.
35 Vos etenim, vos vos estis, ter amabile Divum
36 atque hominum fama triplice delictum :
37 tergeminum o sidus nostrum, mea gloria trina,
38 o mihi praesidium nobile, dulce decus !
39 Tu pars Augusti, Wackere, et fama Senatus,
40 Aoniique idem famaе parsque chori ;
41 et tu magnificos titulos natalibus aequans,
42 natales vincens, Rhediger, ingenio.
43 Et tu non impar doctrina et laude, Monavi,
44 nominis illustrans omnia luce tui.
45 Ad vos en modo difficilis sub sidere Brumae,
46 tempore solemnī sed mea Musa venit :
47 approperans primo reducis sub lumine Jani
48 ad matutinas officiosa fores,
49 et reliqua in turba votivam prima salutem
50 dicere felici gestit ab augurio.
51 Agnovisse juvet, juvet ultro admittere et ultro
52 e medio hanc alios ante vocare globo ;
53 atque verecundam vultu firmare benigno,
54 intrepido magis ut, quae cupit, ore ferat.
55 Nam fert illa quidem, quod debet conscia, lingua,
56 non dextra : vacua stans inhonora manu.
57 Et commendando pulchrae pro munere strenae
58 solvit inornatis verba ligata modis.
59 Verba sed haec quoque pauca : ut paupertina supellex
60 illam omni facit ex parte pudere sui.
61 Nam rerum ceu prorsus inops, sic est neque dives
62 carminis ; et sterili oppressa labore gemit.
63 At pietate tamen vobis, licet omnia desint,
64 se cupit, et nudo posse probare animo.
65 Utque cupit, sperat : tanta est fiducia vestri,
66 nititur et votis sic animosa suis.
67 Scilicet his ipsis, queis solum haud paupera votis,
68 imo vel ante omnes esse opulenta potest.
69 Queisque adeo in vestri cultum ditissima, plenum
70 caelo animum, caelo tollit utramque manum.
71 Haecque offert donativae jam nomine strenae,
72 et putat illius rite subire vicem.
73 Sic vovet illa autem, conceptis in breve verbis,
74 at spatium fusa mentis in omne prece.
75 Jane Pater saeculorum ab origine ductor in orbem
76 volvendis praeses addite temporibus ;
77 te duce qui veteri lapso novus inchoat annus,
78 te duce fac felix inchoet annus iter.
79 Quaeque renascentis lux aevi primula vitam
80 auspice te fato sumit ab occiduo.
81 Saepe renaturis fausto sub sidere saeculis
82 auspice te fatum pergat ad occiduum.
83 Et qui nunc caput anni, et dux porro inde dierum
84 sole recentato supprimit astra dies :
85 Prosper in auspiciū liquidum exoriatur, et omnes

86 promittat similes praestet et usque sui.
 87 Fas hominum generi certam sperare salutem
 88 a dextri jam nunc ominis augurio.
 89 Praecipue sit fas hanc me spondere clientem
 90 patronis, quibus haec imputo vota, meis.
 91 Vivant et valeant, cunctis sine fine fruentes,
 92 ipsi quae cupiunt, nec cupiuntque, bonis.
 93 Sic pariter vivam, et cunctis fruitura valebo,
 94 ipsa ego quaeque opto, quaeque nec opto, bonis.
 95 Haec, Wackere, tibi, tibi Rhediger, atque Monavi
 96 Musa precor vestri semper Acidalii.
 97 At mihi et hoc : novus antiquos mi ut servet amicos,
 98 pristina nec vestri jura patrocinii
 99 dehinc in me mutet, renovet saltem, et veterem me
 100 in nexum hic vobis artius annus agat.
 101 Pluribus et porro semper volventibus annis
 102 vestra mei perstet cura, perennet amor.
 103 Perstet cura, perennet amor : sed et augmine crescant,
 104 si pote, si mereor, utraque perpetuo.
 105 Quin si nec merear : quamquam fortasse merebor ;
 106 atque erit haec studiis unica cura meis.
 107 Quae magis atque magis meritis obnoxia vestris,
 108 augebunt pariter se magis atque magis,
 109 Dumque manet sensus vestro per fata clienti
 110 illius usque in vos cultus honosque manet.
 111 Cumque cadet sensus, tamen et post fata superstes
 112 illius haud per me grata cadet pietas.
 113 A cinere atque rogo vestri observantia vivet,
 114 scriptaque in aeternum vos venerata colent.
 115 Vos illum Wackere, et Rhediger, atque Monavi
 116 quisque suo, ut cepstis quisque, faveto mode.
 117 Et velut a nobis certatur honore colendi
 118 vestra in cunctorum singula promerita ;
 119 sic vos inter vos certate favore juvandi
 120 una adeo in nostrae commoda semper opis.
 121 Ut qui nondum etiam forsan dubitare potest nunc
 122 hactenus hoc cui plus debeat e numero :
 123 (namque, reor, vestrum sane et conceditis uni
 124 ipsi ultro, et primas cui ferat ille, scio) ;
 125 dehinc moles benefactorum haud examine claro
 126 nescire in variis cogat et innumeris,
 127 maxima sint cuivis, cuivisve secunda vel ima,
 128 nec cuiquam prae aliis deditus esse queat.
 129 Erret et incerto gratae discrimine mentis,
 130 prima cui cultus deferat officia.
 131 Utque adeo hinc, ne cui ex meriti virtute latentis
 132 judicio ignaro plus tribuatve minus :
 133 omnibus ex aequo putet esse obnoxius, omnes
 134 indispensato gratus honore colat.
 135 Atque ita sit totus cujusque per omnia vester :
 136 parque sit in cunctos gratia, par sit honos.

MAGNIFICO OTTONI PRAENIO. IV

A3_04 v.1 Quid mirum, Aonio Phoebus quem nutriit antro,

2 hunc si carminibus donet Apollo suis ?
 3 Quid mirum, quem Pieriae coluere sorores
 4 a puero, et grata nunc quoque mente colunt ?
 5 Quid mirum, qui Pierias coluitque sorores
 6 a puero, et grata nunc quoque mente colit :
 7 hunc si Pieriae studeant decorare sorores,
 8 cultorique ferant munera larga suo ?
 9 Quid mirum, cui nobilitas a sanguine claro
 10 clara per innumeros dinumeratur avos ;
 11 quid mirum, verae qui nobilitatis honorem
 12 nobilitat culti laudibus ingenii :
 13 ingenii, quod Diva Themis, quod virgo patrima,
 14 artibus et studiis expoliare bonis ;
 15 huic si nobilius certet nomenque, decusque,
 16 efficere, ingenio quisquis et arte valet ?
 17 Denique quid mirum, Domino si dulcis alumnus,
 18 queis queat, officiis complacuisse velit ?
 19 Nil equidem mirum : neque tu mirabere quidquam
 20 magne vir, et priscae nobilitatis honos.
 21 Dum mea te, quamquam tenui non splendida cultu
 22 Musa, sed in laudes officiosa Dei,
 23 versiculis ornat paucis : quos scribere christo
 24 me Pietas, tibi mens grata dicare jubet.
 25 Tu studiis tranquilla meis das otia ; tu das
 26 Musarum blanda posse quiete frui.
 27 Ergo age, qua pietas, et qua mens grata meretur,
 28 accipe conatus fronte, probaque meos.
 29 Sic placide multos suavi cum conjuge in annos
 30 vive, nec a tristi sorte pericla time.
 31 Unica sic soboles, decus et spes una parentum,
 32 vivat in exempli spemque decusque tui.

AD MICHAELEM WINCOPIUM. V

A3_05 v.1 Care Oenone, meos inter non ultime amicos,
 2 pectore sincero quos mihi junxit amor ;
 3 care Oenone, avido quid xenia corde requiris,
 4 munera quid tenuem poscis Acidalium ?
 5 Munera donari quem Saturnalibus olim
 6 consuerunt veterum tempore Romulidum :
 7 munera quae Jani mos est donare Calendis,
 8 hoc mage felici tempore Christiadam,
 9 dum vetus ad finem ruit, et novus annus in orbem
 10 orbibus allapsus ducitur aethereis.
 11 Scilicet ut fausti jam nuntia temporis edant
 12 dona per alternas missiculata vices,
 13 auspiciisque bonis luces, sine nube, futurae
 14 molliter adveniant, molliter hinc abeant.
 15 At mihi non auri lamnae, haud argentea gaza,
 16 non pellucidulum divitiae lapidum.
 17 Non aliud quidquam est, strenae quod nomine digno
 18 expensum, ut fas est, nunc tibi ferre queam.
 19 Desine sollicitis igitur munuscula verbis
 20 poscere ; non dare quis, quo caret ipse, potest.
 21 Aut numeros istos grati cape muneris instar,

22 hocque tibi dare sit xenia nulla dare.

AD SYMBOLUM JACOBI MONAVII IPSE FACIET. VI.

A3_06 v.1 Dum miseri heic rapido pelagi jactamur in aestu,
 2 quem fors nimbifica penna agitata ciet,
 3 quae via, quis recti dux caeco in turbine cursus,
 4 ut fugiat tristes tuta ratis scopulos ?
 5 Tu lucem ecce aperis, Pharos olim ut celsa, Monavi,
 6 fudit multifidas igneo ab ore faces.
 7 Ipse, tibi scitum est, faciet : nitidissima cujus
 8 depicta auratis verbula bina notis.
 9 In puppisque tuae summa fixa arbore, fulgent
 10 aequoreo late, ut sidera bina, salo.
 11 Sidera bina, cadit queis nox superata, patescunt,
 12 perque vada incertae per scopulosque viae.
 13 Hae geminae Oebalidum stellae, hae Cynosura Heliceque,
 14 hinc nautis dubia certa salute salus.
 15 His ducibus Scylla evitata, omnique Charybdi
 16 in portum ex alto cymba feretur ovans.
 17 Felices nautas, qui te a tergo usque sequentes
 18 fixa tuis sua habent lumina sideribus :
 19 et scitum o praelustre tuum, quod ab orbe vehit nos
 20 ad caeli ipsa suis sidera sideribus.
 21 Te vero, lucem hanc qui orbi alta per aequora praefers
 22 tranquillum infesto ut currat iter pelago :
 23 te magnum o hominem, et cunctorum hominum instar habentem ?
 24 Quo praeitam sequitur saeculum hominum omne viam.

AD SYMBOLUM DANIELIS RINDFLEISCH BUCHRETI FERENDO VINCO. VII

A3_07 v.1 Quid miser aerumnas et acerbi tristia casus
 2 damna, quid instabiles sorte rotante vices,
 3 quid duros lacrimis defles, gemituque labores,
 4 pervigil in curas nocte dieque tuas ?
 5 Siccine Fortunae rabiem lenire malignam,
 6 sicne ictus, sic te frangere tela putas ?
 7 Nil agis et luctu frustra contendis inani :
 8 non ictus, non sic frangere tela potes.
 9 Non gemitu aut lacrimis Rhamnusia flectitur ullis,
 10 praecipites versat sed sine fine rotas.
 11 Desine ; et adversos erecto pectore casus
 12 ferre, licet videas mille pericla, stude.
 13 Firma quies animi, nullis turbata procellis,
 14 sistet in optato teque, ratemque loco.
 15 Pergin' ? Et iratis etiam te opponere tentas
 16 fluctibus, et medio bella ciere mari ?
 17 Stulte, quid obnixus ventis pugnare sonoris,
 18 saevaue vis flatu pellere flabra tuo ?
 19 Heu nimiumque miser, nimiumque insane ! Peribis ;
 20 et feret in tanto turbine nullus opem.
 21 Nullus ubi tibi ferre potest. Ah mitte furorem,
 22 mitte supervacui triste laboris onus.
 23 Quid dubitas ? Te Fata trahunt ; tibi fata resistunt ;

24 Fataque te tantis implicuere malis.
25 Haec sequere : haec laedi nequeunt mortalibus ausis,
26 nec capit alternas mobilis ordo vices.
27 Stat gravis aeterna Fatorum lege voluntas,
28 stabit et haud ullo dissoluenda modo.
29 Non mutat decreta sui certissima pensi,
30 non Lachesis fissos scit cohibere suos.
31 Ergo quid adverso nequidquam numine sudes,
32 et cumules poenas in tua fata graves ?
33 Me potius, me, siquid agis, mihi deditus, audi,
34 consiliisque arma pectus inerme meis.
35 En adsum Dea, quae durum, Patientia, frango,
36 mollia sub cujus numine saecula fluunt.
37 Illa ego Fortunae et Fati fortissima victrix,
38 omnigeni domitrix nobilis illa mali.
39 Me cole, meque animo semper venerare quieto,
40 quisquis es, et nostro numine tutus eris.
41 Fors fera mitescet, mitescet flebile Fatum :
42 diffugiet gemitus, cum gemituque dolor.
43 Sollicitae nusquam curae ; non luctus acerbus,
44 non lacrimae tristes, non tibi questus erit :
45 sed tranquilla quies, pacataeque otia vitae,
46 et mens caelicolis aequiparanda Diis.
47 Tu modo Fortunam jam nunc, tu despice Fatum,
48 et ferre horrificas disce utriusque minas.
49 Disce feros arcus et spicula tincta veneno
50 spernere ; nec telis vulnera facta time.
51 Sume animum, magnique animi insuperabile robur,
52 instrue vi solida pectus, et arma cape.
53 Arma, quibus vanoque metu et terrore fugato,
54 obvia crudeli strage pericla cadant.
55 Victor et exsuperes invicto pectore ; ut hostes
56 te metuant, fugiant, nec nocuisse velint.
57 Qualis in aequorea rupes immobilis unda
58 flatibus, et tumidi fluctibus icta maris,
59 quam circum rabies ventorum et turbida ponti
60 adsiduo latrans ira furore fremit,
61 perstat et, excelsa scopuli se mole rigentis
62 dum tenet, allisae verbera spernit aquae ;
63 incursusque maris, caelique minacia ridet
64 murmura, et enerves inde vel inde minas.
65 Mox fragor immoriens languescit, et unda recedit,
66 spumeus hinc aestus canaque bulla perit.
67 Sic ubi vesanos placide toleraverit ictus
68 pondere nullius mens labefacta mali :
69 franges saevitiam, et plagas ridebis inanes,
70 laetaque securo gaudia corde feres.
71 Nubila fortunae fugient, discussaque Fati
72 horrida tempestas Sole oriente cadet.
73 Et tibi pura dies, totoque innubilis aevo
74 vita suum molli tramite curret iter.
75 Qui mala, qui casus patitur constanter iniquos,
76 post potitur solidis perfruiturque bonis.

MAGNIFICO JOHANNI MATTHAEO WACKERO A WACKENFELS SPONSO. VIII.

A3_08 v.1 Wackero longum viduo nova debita conjux
 2 tandem instauratum redditur in thalamum.
 3 Causa morae duplex. Nec enim dum quaeritur a Diis,
 4 sic subito tali digna reperta viro est.
 5 Nempe cui similis vix quisquam in gente virili,
 6 feminei huic temere par erat ulla gregis ?
 7 Una gravis nimium haec : levior nihilo altera causa,
 8 pugna maritales inter oborta Deas.
 9 Namque diu studiis discordibus aemula certant
 10 cum Junone Venus, Junoque cum Venere.
 11 Illa novam renuit veteri sociare marito,
 12 matronam viduo destinat et viduam.
 13 Haec defloratam fugitat, viridemque puellam
 14 florenti atque alacri ductitat usque viro.
 15 Hactenus et dubio lis fine agitata pependit,
 16 in partes reliquos abripuitque Deos.
 17 Nunc jam concilio in superum, Rex Juppiter aequo
 18 composuit longas numine dividias.
 19 Causa Juno tamen cecidit, viduaeque cohortes
 20 exclusae viduo quam libet ex thalamo.
 21 Laeta Venus turba vicit cum Virgine : victrix
 22 sed multata eodem hoc sic quoque iudicio est ;
 23 jussa suarum unam Charitum sibi perdere demptam,
 24 mortali que Deam consociare toro.
 25 Ut quae virginei numerum sic semper honoris
 26 imminuit, numerum nunc minuat proprium.
 27 At nihil haec tristis, multa sed laetior ipsa
 28 arbitrii talis gestit in obsequium.
 29 Et ruit, atque ultro properat facere impigra damnum,
 30 non damnum : et decus, haud dedecus inde petit.
 31 Namque inhonora hominis neque sint connubia Divae,
 32 Diis adeo cari, Diis similisque Viri ;
 33 et lucrosa autem Dominae haec dispendia, partu
 34 quando dabit plures una Charis Charites.
 35 Ergo Troila te Catharis, Chariteia Virgo,
 36 tertia te Charitum, Troila te Catharis ;
 37 te lateri Cytherea suo disjungit amantis
 38 ad latus et cupidi mittit in oscula viri.
 39 Wackero sociaris : erat qua conjuge dignus,
 40 caelesti dignus non nisi conjugio.
 41 Wackero sociaris : eras quo conjuge digna,
 42 mortali digna haud, hoc nisi, conjugio.
 43 Conjugium o caeleste, o non mortale, Deorum,
 44 non hominum : humanis altius et thalamis.
 45 Jungimini : miscete genus sociabile juncti,
 46 unus et a gemino sanguine sanguis eat.
 47 Indigetisque suos cognato mittite caelo,
 48 indigenas terris et generate suos.
 49 Condite felicem gentem prolemque beatam,
 50 terrestresque Deos, aethereosque homines.
 51 Gignite fecundam sobolem, et jungite utrimque
 52 terrestresque homines, aethereosque Deos.
 53 Sic Venerem, numerum Charitum minuisse, juvabit,
 54 ex una innumeras viderit ut Charites.

55 Nec tamen has tantum : simul et nova saecula Amorum
 56 agminaque usque gregis plura Cupidinei.
 57 Quot vobis nati, tot enim nascentur Amores ;
 58 et quot erunt natae, Gratiolae tot erunt.
 59 Sic caelumque, solumque, Deosque, hominesque juvabit,
 60 sideream terris crescere progeniem.
 61 Vivite vos : per vos, terrestria numina, sponsi,
 62 vivat ut exoriens dehinc nova posteritas.

AD JACOBUM MONAVIUM SPONSUM. IX.

A3_09 v.1 Certus eras, vitae reliquum quod, magne Monavi,
 2 cumque foret, viduo transigere in thalamo.
 3 Certus eras : neque tam firmam jaculis faculisve
 4 quibat Amor mentem, nec superare Venus.
 5 Indoluit, vestri generis quae et nominis auctor,
 6 nocturno regnat lucida Luna polo.
 7 "Et quid, ait, duris adeo impenetrabile telis
 8 corriget, Idaliisque ignibus indomitum ?
 9 Ergone quando unus superest, in quo una Monavi
 10 spes generis, spes et nominis una sita est :
 11 duritia illius gens tota a stirpe peribit,
 12 gens orbis columen deliciaeque meae ?
 13 Ergone jam haud surget, saeclo ac veniente virebit
 14 florida perpetuo germine posteritas ?
 15 Siccine. Sed procul o totum hoc ! Gens incluta mecum
 16 mecum erit : et terris non jubar hocce prius
 17 desinet auratos radios diffundere, caelum
 18 quam ipsa meo aeternum lumine destituam.
 19 Aut si stat fato, lucem istam tollere terris ;
 20 caelo ego dein lumen usque negabo meum.
 21 Nam mihi quale siet lumen, lux illa Monavi
 22 sanguinis obscuras si cadat in tenebras ?
 23 Haec Phoebopro fratre mihi est : hinc lampada claram
 24 mutuor, et rutila splendo laeta face."
 25 Sic secum ; et curis simul artem astumque remiscens,
 26 consultum ipsa viam qua sibi, quaerit, eat.
 27 Forte rosas, violasque inter recubare puellum
 28 aligerum Paphio conspicit in nemore.
 29 Ille altum tenero capiebat pectore somnum,
 30 lassus vana tuum in stringere tela jecur.
 31 Huic pharetramque arcumque rapit : fortisque sagittae
 32 instaurat nitidam in cote repente aciem.
 33 Inde arcu lunato ipsa in te missile ferrum
 34 torquet Cyprigena certius artifice.
 35 Vix stridet nervo, cordi ilicet haeret arundo,
 36 tuque jaces totum hoc perditus ictu animum.
 37 O bene ! Quaere sacri medicum nunc vulneris, alma
 38 pectus hians subito qui tibi sanet ope.
 39 Sed praesto est medicina. En aureolo ore puellam :
 40 haec tibi Paeon adest, haec tibi certa Salus.
 41 Jungite vos thalamo, paribusque incendia flammis
 42 stinguite, felici o corcula nexa jugo.
 43 Sic Dii, sic Phoebe vult vestra : cui agmine longo
 44 Phoebeam ex vobis gignite progeniem,

45 ut stirpis clarae lux omnes clara per annos
 46 splendore irradiet postera saecula suo.
 47 Fallor ? Ita an denso rutilans examine, vobis
 48 fecundo surget de thalamo suboles ?
 49 Perpetuo aucta olim numerosa ut luce lacessat
 50 sidereas caeli per spatia ampla faces ?
 51 Non fallor. Quin ipsi eadem quoque denique Phoebos
 52 fulgebit radiis invidiosa suis.
 53 Ha tum, Luna, tuis gaude et fruiere usque Monaviis,
 54 nec minor ipso altis fratre triumphare in equis.
 55 Tum tibi erit pleno usque incendere lumine frontem,
 56 et nitidum in media fundere nocte diem.
 57 At tu, Bresla, nimis felix ! Quo nomine te fas
 58 dicier, hos tales cum capies radios ?
 59 Non urbs, non orbis : caelum, caelum ipsum eris, in qua
 60 sidera tot tanta luce corusca colent !

JOACHIMO SPECHTIO, JC. SPONSO. X

A3_10 v.1 Spechtius Aonidum mystes Themidisque sacerdos,
 2 idem anima et Suadae Spechtius et Sophiae ;
 3 Spechtius hic Venerem orabat, tandem esse maritus :
 4 "Illa, eris ; et jam nunc sis age Sponsus", ait.
 5 "Sponsus ego ? In qua igitur ? Dabo cui non cruda sit aetas,
 6 integra forma, et dos lauta ; sed haec vidua est.
 7 Sponsus ego in vidua ? Quidni ? Tu in virgine malis ?
 8 Scilicet et vidua haud virginis instar habet.
 9 Instar habet : sed ubi flos aureus ille ? Quid ergo ?
 10 An quia virgo haud sum, Marti amor ipsa minus ?
 11 Et quo condicio tibi tandem virginis, absque hoc,
 12 pensior ? Ipsa etiam virgo senex, vidua est.
 13 Haec vero juvenis, vel te quoque junior ipso.
 14 Conveniunt anni, conveniunt animi,
 15 Mores conveniunt, atque omnia. Et haec tua ut uno
 16 sit vidua hoc, rebus non vidua est aliis :
 17 non aetate, bona non forma, non vel opum vi,
 18 vel generis, non virtutibus omnigenis.
 19 Quid vis ulterius ? Non id, quod virgo habet omnis,
 20 fert tibi ; sed fert, quod virgo nec omnis habet.
 21 Denique sit vidua haec ; vidua haec te digna ; nec apta
 22 ulla tuo, ullius nec magis ipse toro es.
 23 Denique sit vidua haec ; facies tu nempe maritus,
 24 tu facies, ne sit scilicet haec vidua."
 25 Audiit arrectis haec auribus : "Et tibi Diva,
 26 si placet illa, inquit, jam placet illa mihi.
 27 Accipio ipsam, ipsique libens me dedo vicissim.
 28 Sperno alias, una totus in hac caleo.
 29 Tu modo, Diva, tuo nos numine junge : per aevum
 30 et junctos retine numine, Diva, tuo.
 31 Fac cui me donas viduae, ne me viduetur ;
 32 fac, mihi quam donas, ne viduer vidua."
 33 Annuit alma Venus ; penna simul ipse corusca
 34 plausit, et argutum sternuit omen Amor.

JOANNI MUSELIO SPONSO. XI

A3_11 v.1 Audio, festa paras, Museli, Aphrodisia Sponsus
 2 heic ego te tacitus carmine praeteream ?
 3 Carmine, quod poscas etiam oratore quidem illo,
 4 impetrabilior quo neque Suada fuat.
 5 Sed quod ego, gratum scissem fore (sic tibi gatum hoc !)
 6 Ultro, nec monitus, crede, daturus eram.
 7 Huc me sacra vocare eadem, nostrisque videbam
 8 communes studiis Musica in arte Deos.
 9 Huc patriae quoque jura, quibus natura ligat nos,
 10 doctis, indoctis jura colenda simul.
 11 Nam tellus utrumque eadem tulit, incluta tellus,
 12 imperitat cui Brenni incluta posteritas.
 13 Atque ut mittam adeo haec : ante haec at cetera cuncta,
 14 doctrina et virtus me celebrata tua
 15 illius officii dudum monuere, quod omnes,
 16 doctrina et virtus queis sit amica, ferant.
 17 Nunc ubi poscis idem tamen, an jam, quaeso, potissit
 18 sive Venus Musae nostra negare tuae,
 19 seu Veneri mea Musa tuae ? Ne id numina sirint
 20 utraque, nostra quibus nomina utrimque cluunt.
 21 Tempore praecipue isto, atque ista praecipue in re,
 22 cum tibi sic pulchre jungis utramque Deam.
 23 Nostra tuae dum se miscet, fas me tibi certe
 24 plaudere, et unanimem consociare animum.
 25 Sed mihi quando meam in te nunc magis avertisti,
 26 ut minus in versus officiosa vacet :
 27 ipse tuam interea mihi, Jane, remitte, negoti
 28 cui tecum nunc est per tua festa minus.
 29 Et tua enim huic operi multo aptior : ut mea contra
 30 aptior, imo una est illi operi apta tuo.
 31 Numina mutemus, mutemus nomina paulum :
 32 sit tibi nostra Venus, sit tua Musa mihi.
 33 Tu modo Acidalius sis, sim Muselius ipse :
 34 rectius officium ut curet uterque suum.
 35 Quid vero, quid facturus ? Video, anxius haeres.
 36 Ambigui librans momina consilii,
 37 et tibi nescio quas hac condicione parari
 38 a nobis metuis sollicite insidias.
 39 At frustra es, quodcumque times : nil ista pericli
 40 pactio habet ; fraus hinc et dolus omnis abest.
 41 Ame quid metuas ? Tamen, en, metuisse videris :
 42 jamque tacens altum clara et aperta negas.
 43 Quando igitur non vis, quid me vis denique ? Jam nec
 44 quod volui valeo, nec volo quod valui.
 45 Egregium ante tuo tibi molibar Hymenaeum
 46 auxilio : per me nunc queo paene nihil.
 47 Quod vel sic possum tamen, ut possum, ecce tibi unum,
 48 subjicit heic raptim quod mea Diva mihi.
 49 Et jubet effari plane quo carmine cumque.
 50 Nec longum est : audi ; sic quoque Diva jubet.
 51 Illa praeit queribunda, ut te tam tempore longo
 52 incassum in casses illa queare suos
 53 cum gnato molita suo, praedam hanc ita opimam
 54 jam desperarit denique paene sibi.

55 "Frustra, inquit, notique doli, expertaeque tot artes :
 56 nil valui insidiis, nil valui illecebris.
 57 Omnia frustra omnino omni inque loco, inque adeo omni
 58 tempore : utut norim tempus, ututque locum.
 59 Illum ego tentavi puerum, juvenemque, virumque ;
 60 sed vir, sed juvenis, sed puer ille negat.
 61 Illum ego tentavi quondam per Gallica regna ;
 62 Galla sed hunc cepit nulla puella mihi.
 63 Illum ego virginibus, quas terra Britannia gignit ;
 64 nulla sed hunc cepit virgo Britanna mihi.
 65 Illum ego et Ausoniis me me spirantibus ipsam ;
 66 sed nec eum cepit Ausonis ulla mihi.
 67 Illum ego et heu Belgis me me superantibus ipsam ;
 68 sed capere hunc potuit Belga nec ulla mihi.
 69 Et quid ab his alias memorem ? Quid denique nostras,
 70 quarum etiam his multas novimus esse pares ?
 71 Sed licet ipsa pares etiam his Germania multas,
 72 quaeque etiam superent has, licet ipsa ferat ;
 73 quorsum adeo, in tanto si etiam harum examine nostrum
 74 non nostrum hunc potis est non capere ulla mihi ?
 75 Hactenus haec ; et pauxillum sermone represso
 76 tam querulo, mox dein laetior haec iterum ;
 77 sed bene habet : tandem tamen ipsum cepimus. Euge,
 78 vicerunt artes insidiaeque meae.
 79 Tandem aliquando inveni aliquod tempusque, locumque.
 80 En laqueum, quo se praeda mea indueret.
 81 Duximus hunc Breslam, Breslae hunc induximus, heic hunc
 82 una mihi cepit, cepit et una sibi,
 83 cepit io ! Quid jam victrix tam sera triumphum
 84 differo ? Quid verbis me moror ipsa meis ?
 85 Scande triumphalem mecum Bresla o mea currum,
 86 laurigeris pariter Bresla vehenda rotis !
 87 Ipsa Venus Breslaea, et tu Cythereia Bresla
 88 porro exhinc fama concelebrante clues.
 89 Sic et me juvat, et merita es tu, tot mihi grata
 90 jam spoliis, uno gratior hoc spolio."
 91 Talia voce diserta, et secum plura recedens
 92 me Venus in medio carmine destituit.
 93 Teque triumphatum festiva ducere pompa
 94 festinans, volucres adjuga sueta vocat.
 95 Nunc quid ego illa abeunte hiscam per me ipse ? Nihil jam
 96 suppetit ; et quid jam suppetat ulterius ?
 97 Nil reliquum, nisi uti Veneri plaudamus, et una
 98 cum populo laetum saepe iteremus io.
 99 Vicit io ! Breslaea Venus, Cythereia Bresla
 100 vicit io ! Felix Bresla sit atque Venus !
 101 Nec minus ipse tamen felix tu victe, triumpho
 102 cui tam felici rursus ovare datur.
 103 Nam tibi dedecori non haec victoria talis :
 104 ultro imo, vinci sic, decori esse putem.
 105 Quin neque te victum esse putem, victoribus ipsis
 106 qui te victorem re quoque eapse probas.
 107 Sic equidem vinci plane est et vincere contra.
 108 Et quotus hoc vinci nolit et ipse modo ?
 109 O mihi quam multi cupiant ille esse triumphus,
 110 quos Breslaea Venus nondum ita ducere amat !

111 Tu jam igitur qui sic dum duceris, ipse vicissim
 112 ducis ; age es felix : ducere, ducque bene.
 113 Hoc voveo extremum, quod primum est ; et tibi votum
 114 sit breviter, quo nil sim potis uberius :
 115 nec magis ex animo. Hunc animum votumque fidele hoc
 116 respice, nec tenues despice versiculos :
 117 quos tibi praecipiti fusos nimis impete, primum
 118 a me ineuntis habe pignus amicitiae.

JOANNI FUNCIO SECUNDUM SPONSO. XII.

A3_12 v.1 Funcius Aonidum primis sectator ab annis,
 2 legiferaeque idem perpetuus Themidis :
 3 flore sub aetatis calida stimulante juventa,
 4 et blando Veneris victus ab illicio,
 5 cesserat haud pridem Divae sub jura vocantis,
 6 illius aeternum promptus in obsequium ;
 7 et toto se animo totum donaverat uni,
 8 desertis Themidis Aonidumque sacris.
 9 Nec male, grata Venus, juveni gratissima jussi
 10 continuo dederat praemia transfugii :
 11 praemia, femineae delectam examine turbae,
 12 indole vernantem corporis atque animi,
 13 pulchram ipsam et pulchra sponsam cum dote ; simulque
 14 omnia conjuncti gaudia juncta tori.
 15 Felix, propria si longum bona tanta marito,
 16 et mercede sua fas foret usque frui !
 17 Sed brevis hei nimium, nimium hei brevis illa voluptas !
 18 Praemiaque Idaliae mox periire Deae.
 19 Neglecta indoluere tot uni Numina Divae
 20 postponi : ac temni nescia, sueta coli,
 21 desertori irata suo, violente rapina
 22 irrita furtivi praemia transfugii
 23 abstulerunt subito, fatis adjuta sinistra,
 24 Parcarumque infami usa ministerio.
 25 Abripitur thalamo thalami vix jam nova consors,
 26 consors infernis jussa nova ire procis.
 27 Ille jacet vacuus, poena multatus acerba,
 28 Vindictaeque gravem saevitiam lacrumans,
 29 non tamen accusat, sed se facinusque suum illud,
 30 patratum Veneris auspicio facinus,
 31 hei non auspicio liquido ! Temereque secutus
 32 promissam illius suaso in amore fidem.
 33 Frustra iterumque iterumque fidem jam implorat, inani
 34 nil adeo illius tutus ab auxilio.
 35 Et se igitur Divis hominem peccasse fatetur,
 36 sed Divae inductum fraude fuisse hominem.
 37 Hoc queritur deceptus, et hoc desertus inique
 38 desertor querulis vocibus ingeminat.
 39 Sic nunc in Venerem suastricem culpa redundat,
 40 omnis transfugii transit et invidia.
 41 Quam Dea sentiscens, frausae sibi conscia fraudis,
 42 nec patiens tali in crimine habere notam.
 43 Mota pudore sui simul, illiusque dolore,
 44 et miseri ex animo commiserata vices,

45 ipsa ultro laesas propero placamine Divas
46 vi statuit Suadae conciliare suae.
47 Atque adit, atque orat veniam, noxamque liquentem
48 fassa, caput noxae se quoque fassa palam,
49 auctoremque doli est. "Pacem concedite Divae,
50 inquit, et iratos ponite nunc animos.
51 Vindictae satis estque datum, satis estque dolori.
52 Parcite : non vestrum est perpetuo esse graves.
53 Durities non ista decet tam mollia corda.
54 Lene tuum jus est, juris amica Themis :
55 et vos humanae, cultuque humana per artes
56 Efficitis vestras omnia, Pierides.
57 Este viro faciles rursus, mihi rursus amicae.
58 Vestra ego, vester et hic, cui haud licet esse meo.
59 Et quando non esse licet, sit vester. At oro,
60 si pote, sit pariter vester et ille meus,
61 jam vestris meus auspiciis. Communia nobis
62 in multos, quid in hunc jura quoque esse vetat ?"
63 Dixerat : et cecidere irae de pectore Divis,
64 et subiit placidis pristinus ille favor.
65 Pristinus et major veteri favor : auctus in ipsam,
66 jam Venerem, atque ipsum Funciaden Veneris.
67 Nec mora : ferre novo jam jure suum sibi porro,
68 constantique jubent foedere habere suum.
69 Indulgent donantque Virum : viduoque maritum
70 ultro illi thalamum mox reparare monent,
71 et communibus auspiciis nova jungere pacta,
72 jam rata concordi pacta futura fide.
73 Aeternum rata pacta : modo in tam candida fata
74 quaeratur digno digna puella toro :
75 tanto dignior haec, illa meliorque priore,
76 conjugium hoc quanto prosperius veteri.
77 Audiit, atque hilarata Venus : "Mea cura, ait, ista est :
78 et votiva diu cura mihi ista fuit."
79 Deproperatque repente novi genialia lecti
80 fulcra, Cytheriacis mollia deliciis.
81 Et ducit sibi Diva parem, statuitque puellam
82 ante torum, forma Divae habituque parem.
83 Forma, habituque omnique modo : et te frigide Funci
84 ad vocat, hoc rursus calfaciende foco.
85 Funci ades, argentemque torum et tua marcida linque
86 stragula : mitte pigri triste cubilis onus.
87 Mitte simul gemitus, lacrumasque omnemque dolorem :
88 mutata est jam sors pristina sorte nova.
89 Humentes absterge oculos, vultumque jacentem
90 tolle miser, videas ut tua tanta bona.
91 Non jam, non miser ulterius. Quid nunc tibi cessas ?
92 Quidve times, dubio stans male nixe pede ?
93 Parce metu : fraus nulla iterum heic, nullaeque parantur
94 insidiae. Nunc jam certa fides Veneri.
95 Sume animos et crede Deae. Dea se tibi dudum
96 reddidit, et reliquas conciliavit heras.
97 Pax reparata tibi, tibi gratia parta vicissim
98 aque Themiste tua, Pierisique tuis.
99 Et dehinc jam simul harum et tu simul illius idem
100 cultor : et hae dominae, nec minus illa, tuae.

101 Divis ergo recepte, tuam cape, quam tibi Divae
 102 unanimes paribus consociant studiis.
 103 Accipe, quam qualemque, viden ? Jactura, quid ? An non
 104 munere pensata est hoc satis illa prior ?
 105 O damnum bene sarcitum ? O et tristia cuncta
 106 versa bene ! Optandas o tibi, Sponse, vices ?
 107 Namque hoc dicam adeo, fuit olim perdere tanti,
 108 nunc ut tale tibi surgeret inde lucrum.
 109 Et tanti fuit, in tantos cecidisse dolores,
 110 gaudia tot caperes ut potiora modo.
 111 Et tanti fuit, illam insignem admittere culpam,
 112 cumque novem decimam deseruisse Deam ;
 113 et tanti fuit, iratas habuisse tot illas,
 114 unam ipsam Venerem transfuga dum sequeris.
 115 Et tanti fuit, infausto vixisse parumper,
 116 deceptum laevo numine, conjugio.
 117 Et tanti (quid eam per singula ?) Cuncta fuere,
 118 cuncta illa, hunc quaequae passus es ante diem :
 119 tam modo felici ut commutarentur in omnes,
 120 quotquot ab hinc vives, condicione dies.
 121 Sis, ut es, o Funci felix : longumque per aevum
 122 perfruere his, quae dant Numina amica, bonis.
 123 His aliisque bonis, eadem quae Numina porro
 124 promittunt stabili semper amica fide.
 125 Tu stabili modo rite fide cole quaeque vicissim,
 126 omnibus ex aequo gratus, et ex animo.
 127 Sed facies, nil hujus egens monitoris ab ipso
 128 et quid te remoror longius officio ?
 129 Desine Musa : i tu, Funci, et tua munia fungi
 130 incipe, quae nunc haec postulat hora sibi.
 131 I bene, vesper adest : alio post tempore fungi
 132 illa alia incipies ; i bene : vesper adest.

JOANNI OESTENIO SPONSO. XIII.

A3_13 v.1 Tandem, Jane, rati laetas impone coronas,
 2 per tumidum qua antehac vectus es Oceanum.
 3 Tandem votivas age Diis suspende, ope quorum
 4 sospes abisti, iterum et sospes ades, tabulas.
 5 Tandem agita ante tuos convivia festa penates,
 6 ad patriosque cadat victima opima focos.
 7 Jam tua trabs emensa implacati aequoris undas,
 8 per juris, legumque horrificos scopulos,
 9 tuta, videt tangitque optati littoris oram,
 10 portum et init confecto arduum ovans itere.
 11 Trabs tua ; non onerosa opibus, quas discolor Indus,
 12 a patrio orbeque humum mittit in extimam Arabs.
 13 Nec quas auriflui legit accola ditior Hermi,
 14 quasve rubri volvit gemmifera unda maris.
 15 Verum onerosa opibus, pretium queis grandius, et queis
 16 dignior omnigenis claret honos opibus.
 17 Incluta quas Sophie arcanis conservat in arcis,
 18 arcibus et summis moeniit alma Themis.
 19 Tangere quas nulli manibusve oculisve profano,
 20 haud ullaque etiam in parte frui licitum.

21 Sed quas Justitiae Dea Praestes, munere raro
 22 rari animi donat affatim habere viris.
 23 Sed quas e cerebro orta Jovis Patrima virago
 24 iis largo indulget, prodiga opum, cumulo :
 25 Japetionides queis de meliore metallo
 26 mentem animi effinxit sedulus atque animam.
 27 Horum tu e numero unus et unicus, o Oesteni,
 28 pectus ita eximiis divitiis gravide,
 29 post tot sudores, post tam agmina densa laborum,
 30 post curarum aestus, postque metus hyemes :
 31 felix jam Zephyrea in portum subvehere aura,
 32 segregus ambigui a vorticibus pelagi.
 33 Heic ubi muta silent taciturnis aequora ventis,
 34 increpat et nullas saeva tibi aura minas.
 35 Heic ubi curarum requies, atque ante laborum
 36 merces, proque amplis praemia sunt meritis.
 37 Praemia, queis majora Dii conferre beati
 38 terrigenum sese posse negant generi :
 39 quae te pernici evectum famae aetherae ala,
 40 panditur astratum qua penetrabile Jovis ;
 41 longe ultra vulgus statuunt, et honore superbo
 42 aeternant supera nomen in arce tuum.
 43 Ecce tibi ut plenis placida intranti ostia velis,
 44 occurrunt rapidis Mnemosydes pedibus.
 45 En cum Mnemosydum coetu ut te laetus Apollo
 46 excipere oblata tendit utraque manu.
 47 Tendit, et amplexu geminos hinc inde lacertos
 48 circat : ut adventu en exhilarata tuo
 49 numina circumquaque adsistunt littori amoeno
 50 omnia, et insolitum gaudio ovante fremunt.
 51 Ipsa enim adest etiam, Pandorae quam horrida pyxis
 52 et scelerata hominum vita hominum e medio
 53 expulerat pridem : Divam, inquit, quae gladio illam
 54 cernitur, hanc aequa armata bilance manum.
 55 Adsunt et reliquae, quas causa eadem orbe fugavit,
 56 justitiae suetae munia obire Deae.
 57 Quas inter tamen illa alto exstans vertice supra,
 58 en te divino protenus ore vocat,
 59 et capiti plexam Laurus de fronde corollam
 60 imponens : "Isto macte, ait, esto mihi
 61 munere, cumque isto cape et hoc diadema tibi, hosque
 62 anellos rutilis usque gere in digitis.
 63 Et mihi ita Antistes juris Gryphum in Nemore almo
 64 incipe perpetuis fulgere temporibus ;
 65 laudis ut hinc radii tuae ad atri Memnonis oras,
 66 adque orbis penetrent Hesperii indigetes.
 67 Utque tuum nomen norint, quos turbidus Auster
 68 nunc pluvia urget aqua, pulvereo inde trocho ;
 69 et quos expressis rigido e nivium cumulo undis
 70 potat inhumanus sub gelu amaro Aquilo."
 71 Sic fatur, pressumque simul te ad pectora honorat
 72 osculo, habens labiis juncta labella tuis.
 73 Cujus ad exemplum et reliquae tibi basia libant,
 74 inspirantque sua legum animam ex anima.
 75 Quae dein vix complexu ubi te emisere solutum,
 76 en prope adest felix Eurynomae suboles,

77 trina Charis, comitata Cupidineae agmine sectae,
78 teque sibi comitem poscit herae imperio.
79 Poscit et abducit cinctum glomerante caterva
80 Gryphiaci ad nemoris interiora loca.
81 Arbor ubi multa obtentu impenetrabilis umbrae
82 intactam arcanae vallis opacat humum.
83 Heic Venus advenientem hilario excipit ore manuque,
84 et sistit pictas inter Hamadryadas,
85 inter et illecebras Faunum Satyrumque Napaeas,
86 atque alios inter virginum amabilium
87 sanguine de nostro natos longo ordine caetus,
88 forma quibus toto corpore vinnula inest.
89 Una tamen reliquis formosior unica, cunctas
90 ore, genis, oculis, moribus exsuperat.
91 Hanc Venus unanimi tibi vinclo adamantino amoris
92 Augusto sociam copulat auspicio.
93 Atque ait : "Haud ultra, Juvenis, discrimina ponti,
94 haud metues claustrum perfidiam Aeolii.
95 Tentatum satis : en ligo ego te hac compede firma,
96 ne possis liquidum postmodo currere iter.
97 Inde maritali jam nunc tua colla capistro,
98 subque meo posthac vivere disce jugo.
99 Gertrudem tibi do propriam, tu te propriam illi
100 da modo : et alterna mutuum amate fide.
101 Virgine tu dignus, Jane, es, te dignaque virgo,
102 nec tu alia aut te alia est digna mage ulla alibi.
103 Quae si fors Phrygiam mecum olim abiisset ad Idam,
104 tunc ubi de forma lis mihi principe erat ;
105 non ego, non Paride rediissem a iudice victrix :
106 illa manu malum ferret id aureolum."
107 Sic Venus : adplaudit matri grex omnis Amorum,
108 et numerosa Jocorum atque Leporum acies.
109 Ipse Hymen ardentem faculas quatit, et pede saltans
110 tinnula melliflua carmina voce canit.
111 Responsat nemus ad plausum, cantusque sonoros
112 aeris ac linguae nata frequens iterat.
113 Quin etiam ventorum audin spiramina, motis
114 blanditer arborum uti sibila dant foliis ?
115 Nimirum ipsae auras tibi laetae agilesque hymenaeum
116 cantant, et festo fausta vovent thalamo.
117 Felicem, o te felicem, Sponse optime, cui tam
118 Diique Deaque, et quodcumque ubicumque, favent !
119 In cujus decora et laudes mare, terra polusque
120 conspirant parili firmiter obsequio.
121 Non tibi ego decoris quidquam laudisque potissimum
122 hisce adeo incultis addere versiculis.
123 Nec tibi ego decoris quidquam laudisque potissimum
124 egregie cultis addere versiculis ;
125 si sim Maeonides, si vena et avena Maronis
126 sit mihi, vel Phoebi si mihi sit cithara :
127 sat decoris, sat laudis habes in te unico et uno,
128 cui decoris laudisque attribuere apicem
129 divorum modo tota cohors. Quae plura requiras ?
130 Frustra a me ; nimio plus tibi qui dederam,
131 si saltem haud decoris quidquam laudisque paratae
132 hisce adeo incultis dempsero versiculis.

133 Fors meliora dabunt alii, qui tota Aganippe
 134 ebrii Apollineos aequiparant modulos.
 135 Me reptantem imi radicibus in Parnasi,
 136 guttula adhuc nulla e fonte volantis Equi
 137 imbuerunt Musae, et nitentem ad culmina frustra
 138 ridens heu turpi Phoebe notas digito !
 139 Sed tamen, utcumque est, qualiscumque aura Dei nunc
 140 me adflat, utut limis me astra vident radiis :
 141 hoc studium tu, Jane, proba atque haec symbola mentis,
 142 symbola candidulae candida mentis habe.
 143 Sic te Dii florentem opibus, tua quas tibi virtus
 144 ingeniumque sagax sedulitasque tulit,
 145 aetatem servent : et diae ut sacra Themistos
 146 gemmula fulgos a luce diu niteas,
 147 Nelidae annosi tibi dent anteire senectam,
 148 saecla hominum cui uni trina dedit Lachesis.
 149 Sic tibi, sic nuptaeque tuae adsit Cinctia, sic vos
 150 quotquot sunt casto Numina amica toro,
 151 nexibus irruptae fidei, et concordiae ahenae
 152 glutine conjugii sub juga firma jugent.
 153 Cordibus ut binis in bino corpore semper
 154 unius aura anima spiret ab una animi.
 155 Et thalami fecundum optata in pace novale
 156 multiplicem tenero germine det subolem.
 157 Voti haec summa mei : cui ne quid defuat olim,
 158 huc jam age, Jane, tuam huc impiger adde operam.

JOANNI LUBBECHIO J.U.D. Sponso. XIV

A3_14 v.1 Lubbechio viduo viduamne an virginem amare
 2 dignius ? Et viduam et virgine amare licet.
 3 At viduam viduo componi rectius, et sub
 4 jura adigi melius quis neget aequa tori ?
 5 Quisve neget paribus paritatem aetatis amorem
 6 corde in utroque magis conciliare parem ?
 7 Ipse tamen quaesitus utram sibi ducere malit ;
 8 de vidua ridens, verum ita nec nego, ait :
 9 "Nec mihi sic viduam tamen allaudabitis, ut sit
 10 et vidui et senis haec suavior in thalamo.
 11 Quidni Virgo etiam viduo sociarier, et sub
 12 aequa queat recte jura venire tori ?
 13 Aevum impar prohibet ? Mores spectemus : amorem,
 14 illi ubi sunt pariles, quis neget esse parem ?
 15 Morosae viduae, tetricae, fastuque tumentes,
 16 et tristi plerumque imperiosae animo.
 17 Et super haec : thalamo quei sit magis apta secundo,
 18 primi quae mores semper olet thalami ?
 19 Hancne ego in arbitrium sperem me cogere nostrum
 20 ante sub alterius quae fuit arbitrio.
 21 Nae male ferre meos possit me conjuge mores
 22 pridem alte mores quae imbibit alterius.
 23 Vix facile e multis recoquatur milibus una
 24 se novum uti placide fingat ad imperium.
 25 At mihi Virgo hilaris, blando sermone, decora,
 26 miti animo, et castis molle tuens oculis :

27 "Virgo mihi thalamum subeat, nostrisque benigne
 28 componat mores moribus usque suos.
 29 Hanc mihi, ut haud digito fingentis cera repugnat,
 30 rite meum facile est ducere in obsequium :
 31 haec jucunda mihi, domui, jucunda cubili ;
 32 haec curis presso dulce levamen erit.
 33 Haec, quos e vidua haud sperem pariet mihi natos,
 34 quid moror ? Haec senio sola medela meo."
 35 Macte isthoc animo, vir spectatissime, macte :
 36 iudicio felix et fruire usque tuo.
 37 Nam quid ego aut alii voveant tibi, praeter id, ipse
 38 quod tibi de tali es virgine pollicitus.
 39 Dii tamen id firment : faustoque in amore perenne
 40 te serventque tuae, Jane, tuamque tibi.

VALENTIS ACIDALI ELEGIARUM LIB.II.

AD VRATISLAVIAM. I

A4_01 v.1 Flos sacer Europae, clarissimeque urbium ocelle,
 2 Bresla, o Bucreti patria cara mei !
 3 Quis tibi, quis Divum tam laeto lumine ridet,
 4 quae te tam nivea sidera sorte beant ?
 5 Ut quod habet decoris Germania cumque superbi
 6 omne tuo teneas sola beata sinu ?
 7 O Bresla, innumeris ter felicissima donis !
 8 Vatibus o cunctis digna perenne cani !
 9 Non ego in his, ut te celebrem. Tamen haud queo quin et
 10 ipse meis dicam te quoque versiculis.
 11 Sed mihi non tam urbis splendor, non moenia, turres,
 12 tecta, amplaeque oculos divitiae feriunt.
 13 Illa alii laudent : ego mactos laude perenni,
 14 una quibus clares, suspicio usque viros.
 15 Tu genitrix clari ingenio et clari arte Monavi,
 16 quem fama Eois didit et Hesperiiis.
 17 Tu stirpem aureolam produxti Rhedigerorum,
 18 fulget sidereis aemula quae facibus.
 19 Hinc Thomas pridem Aonidum jubar : hinc modo notus,
 20 et patruum et proprio nomine Nicoleos.
 21 Tu quondam, priscae illum nobilitatis honorem
 22 fovisti augusto Dudithium in gremio.
 23 Dudithium Themidis, Phoebi, Suadaeque medullam,
 24 aeternum cujus gloria viva veget.
 25 Tu peperisti orbi medica insignem arte Cratonem,
 26 extima quem mundi novit amatque plaga.
 27 Tu Jenckwitzium habes heroem, illoque Senatus
 28 principe summa caput tollis in astra tui.
 29 Tu magnum Ursinum, et Wackerum, juris et aequi
 30 patronos, Clarii sidera bina gregis.
 31 Tu Schillingium habes, Clivus animum unicum, habesque
 32 Astraeae columnen nobile Reussium herae.

33 Tu celebres mystas, Hermannum et Scholtzium, Hygeae,
 34 quos morbi et trepido mors fugit ipsa pede.
 35 Tu nostros peperisti etiam Bucretium amores,
 36 jam tum qui quoque te luce nova irradiat.
 37 O felix istis, et quos mihi dicere non est,
 38 pluribus o nimium Bresla beata viris !
 39 Et quis adhuc te unam non dixerit orbium ocellum,
 40 quae tot fulgidulos orbis habes oculos ?

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM. II

A4_02 v.1 Quid modo caeruleae digressa a litore Balthes
 2 fama mihi in trepidis murmurat auriculis ?
 3 Quid maestum horrissonis turbatrix Diva susurris
 4 nuntiat, et constanti ore frequens iterat ?
 5 Me miserum ! Heu misere miserum ! Perii, et pote non jam est
 6 anxius immitem hunc ferre dolorem animus.
 7 Ah perii ! Penitis liquefiunt ossa medullis,
 8 mensque vaga excitis fluctuat in lacrumis.
 9 O dolor ! o lacrumae ! quae sat lamenta dolori,
 10 quae satis in lacrumas unda futura meas ?
 11 Ergone Varniadum roseos Bucretius hortos
 12 atque ipsas potuit linquere Varniades ?
 13 Ergone tam docti fugiens tecta alta Lycaeii,
 14 aufugit nostris pepetuum ex oculis ?
 15 Aufugit seque eripuit Bucretius, ille
 16 ille meae major pars meliorque animae.
 17 Ille animi cura una mei, ille amor, ille meum cor,
 18 ille sui Seiren dulcis Acidalii.
 19 Quid querar ? Aut quidnam incusem ? Vosne improba fata ?
 20 Improba, et unius non mihi causa mali.
 21 Hocne etiam reliquis unum, hoc tam triste malorum
 22 innumerabilium defuit agminibus ?
 23 Nec mihi jam sat erat curarum atri que doloris,
 24 haec nisi curarum me obsidio premeret ?
 25 Obsidio curarum atri que infanda doloris
 26 tormenta. Heu tristis carnificina animi !
 27 Quid feci miser, et tantam quo crimine poenam
 28 promerui ? Aut quaenam tam gravis ira Deum ?
 29 Quaeve odia haud ullis umquam exsaturata periclis,
 30 quaeve mihi intentant sidera perniciem ?
 31 Heu heu ! Sicne meum in caput omnia conjurarunt ?
 32 Siccine tam variis casibus exagitor ?
 33 Varne Pater, liquido qui interluis amne rosetum,
 34 cujus ego quondam dulcis alumnus eram ;
 35 Varne pater, vosque o vitreo sub flumine Nymphae
 36 Varniades, quarum cultor inante fui ;
 37 haecne fides et promissi constantia vestri ?
 38 Mosne etiam sanctis fallere numinibus ?
 39 Scilicet a vestris, meministi, cum avellerer oris,
 40 haec abiens maesto pectore dicta dabam.
 41 Haec dicta, hasque preces animi e penetralibus imis
 42 fundebam vestri marginem apud fluvii ;
 43 me nunc fata vocant alio. Vos cara valet
 44 numina, perpetuo numina cara mihi ;

45 nec pigeat, quem tam blande fovistis alumnum,
46 semper inoblitis condere pectoribus.
47 Tempus erit cum vos et flumina nota revisens,
48 debita pro meritis munera persoluam.
49 Interea meminisse mei juvet, atque sodales,
50 quos mihi lex stabilis jungit amicitiae,
51 servare incolumes, ut me cum fata reducent,
52 nullus in hoc omni deficiat numero.
53 Vestrae illos fidei, vestrae, o pia numina, curae
54 tradimus ! His salvis ipse ego salvus ero.
55 Hunc mihi thesaurum, qui me mihi carior ipso,
56 Varne tuere pater, Varniadesque Deae.
57 Sic salvete simul, simul atque valete, meum quo
58 salveat ac valeat dulce sodalicium.
59 Tantum. Et continuo applausu mea verba probastis,
60 plurimaque assensus visa mihi indicia.
61 Visa mihi : at quam vana fides, promissaque vana,
62 nunc ubi fidam opus est ferre reapse operam ?
63 Varne o, Varniadumque cohors, quei fallere alumnum
64 convenit, et vanis ducere pollicitis ?
65 Si vos mente pia colui, si carmina vestris
66 grata olim ripis saepius accinui :
67 cur adeo aversis nunc mentibus hocce negastis
68 tam tenue absentis tamque leve officium ?
69 Hei mihi ! Jam reditum vestros meditabar ad hortos,
70 jamque erat ad gratos ire animus fluvios.
71 At nunc ingratos fluviosque, hortosque, nec ultra
72 vel roseos hortos, vel roseos fluvios.
73 Omnia nunc deserta mihi atque inamoena videntur
74 versari madidos adsidue ante oculos.
75 Omnia nunc lacrimosa abitu sunt reddita amicis,
76 queis sine nil oculis, nil animo superest
77 jucundum : nil quod quidquam juvet amplius. Eheu,
78 tam cito lux isthaec vertitur in tenebras ?
79 Non vobis dulces licuit retinere sodales,
80 atque moram injectis nectere compedibus ?
81 Non prohibere abitum illorum potuistis acerbum,
82 maerorisque mei tollere materiem ?
83 Praecipue tamen ante alios, quem praecipue unum
84 ante alios abiisse ex animo doleo :
85 non Bucretiadae licitum intercludere gressus,
86 non fas praecipitem illi eripuisse fugam ?
87 Illi inquam Bucretiadae, quem vos quoque mecum
88 dilexistis sinceri intimo amore animi.
89 Gloria qui vestri florebat prima Roseti,
90 aemulus in vernas purpureo ore rosas.
91 Non servare mihi hunc vobis licuisse putandum est,
92 ulteriusque sacris fotum alere in gremiis ?
93 Non equidem licuisse puto. Quei namque voluntas
94 promptior, et fidum defuerit studium ?
95 Quin immo et longo reor indulsisse dolori,
96 et si fas lacrimas fundere numinibus,
97 luctu acri solvisse animos divinaque fletu
98 lumina tam cari discidio capitis.
99 Vester honos etenim, vestrum decus ille cluebat,
100 ille fuit vestri lux oculusque gregis.

101 Squallida nunc vestra arva jacent, nunc aurea tempe,
102 nunc orbata suo gramina sole dolent.
103 Graminaque et plantae et florum maestissimus ordo,
104 signa danunt magnae plurima tristitiae.
105 Ipsa etiam segni fertur nunc languida cursu
106 Lymsa, nec undantes est memor ire vias.
107 Ipsi etiam vestro vivunt qui flumine olores,
108 luctisonum maestis dant gemitum in latebris.
109 Cetera quid memorem ? Dolor omnia perculit unus,
110 unius et turbata omnia sunt abitu.
111 Cetera sed quam vis memorem, ac numerare dolores
112 omnium et innumeros instituum gemitus ;
113 nullibi tot possim et tantos reperire dolores,
114 nullibi tam innumeros inveniam gemitus,
115 quam in me ipso ; in me uno et solo, in me inquam unico et uno,
116 qui jam nunc totus sum dolor ac gemitus.
117 Optime Bucreti, atque animi pars optima nostri,
118 his tamen unis haud optime dividiis ;
119 quei me, quei tanto libuit mactare dolore,
120 curarum et tanto occidere me cumulo ?
121 Hoccine pro summo pretium mihi reddis amore,
122 quemque dedi, hei miserum sic crucias animum ?
123 Sic animum mentemque animi, sic cor animamque
124 immedicabilibus vulneribus laceras ?
125 Non sat erat pridem adspectu caruisse beato,
126 et tam felici haud posse frui alloquio ;
127 ni quoque perpetuum optato privarer amico,
128 meque carere ipso cogerer, et sine me
129 aevum agere, ac vivum modo circumferre cadaver,
130 et fatum ante meum currere mortis iter ?
131 O vitam invitam ! O invitae tristia vitae
132 tempora, perpetuis tempora foeta malis !
133 Ergone sic mihi te, sic me tibi fata dederunt,
134 ut modo teque mihi, meque tibi eriperent ?
135 O fata infanda ! O infamia fata ! Quid, ah, me
136 quid fiet ? Quid mi jam reliquum esse potest ?
137 Ante mihi, cum vos pariter Musasque relinquens
138 pellerer in studiorum hocce meum exsilium,
139 spes erat haud longi post temporis intervallum
140 ad Musas subito posse redire gradu.
141 Spes erat ad caros non parva revisere amicos,
142 disjunctamque iterum jungere amicitiam.
143 Spes erat ad te etiam remeare, et cernere vultum,
144 sermonesque tuos aure avida bibere.
145 Hac spe maerorem sum consolatus amarum
146 hactenus, et leviter tot mala sustinui.
147 At modo tecum una me spes etiam illa reliquit,
148 factaque vesani ludibrium Boreae est.
149 Quo fugis et quae causa viae tibi, care sodalis
150 cura dolorque hominum, cura dolorque Deum ?
151 Quo raperis, quid te rosea cispellit ab urbe ?
152 Quid tam praecipiti cogit abire fuga ?
153 Patria te dulcis revocat dulcesque propinqui,
154 queis alacri morem jus gerere obsequio.
155 Jus equidem. Sed enim dum illos colis obsequio isto
156 laedis et injuste me nimis exanimas.

157 Perge tamen, quo te juris ratio avocat. Haud te
158 detineo, aut per se justum iter impedio.
159 Non saltem mihi te licuit, dulcissime rerum
160 Bucreti, o mea lux, deliciaeque meae :
161 non saltem extrema affari atque amplectier hora,
162 extremum et tepidis spargere te lacrumis ?
163 Non saltem licuit supremis oscula verbis
164 addere, et aloquio fractum animum, atque oculos
165 adspectu recreare tuo ? Non denique mi fas
166 triste "Vale" audire et dicere triste "Vale" ?
167 Hic dolor, haec imas exhaurit cura medullas,
168 hoc mihi prae reliquis flebile cordolium est.
169 Hinc ego, seu nox densa operit caligine terras,
170 sive dies pulsus lucem aperit tenebris :
171 hinc crucior, varisque modis et morsibus aspris
172 in varias misere particulas laceror.
173 Non adeo saevos inferno Acheronte dolores
174 infelix pridem perpetitur Tityus.
175 Infelix Tityus, crudi qui vulturis ungue
176 obscaena assiduo viscera distrahitur.
177 Infelix Tityus, sed ego infelicior illo :
178 corporis illi etenim, mi laniena animi est.
179 Quo me igitur vertam ? Tantis cruciatibus unde
180 unde petam medicas experiarque manus ?
181 Unde petam ? Quis mi queat auxiliarier aegro ;
182 heu nemo ! heu nulla est huic medicina malo !
183 Nulla est huic medicina malo. Nam vulneris auctor,
184 una salus a quo pendet et auxilium,
185 fugit, et heu nostris numquam cernendus ocellis,
186 aeternum expertes nos ope destituet !
187 Bresla quid, ah quid Bresla meis nimium in vida votis,
188 immeritum tanto plectere supplicio
189 collibuit ? Decus ille tuum Bucretius, et laus
190 maxima, non poterat lausque decusque tuum
191 esse ; nisi eriperes aliis ipsumque teneres
192 sola, tibi soli quem genuisse putas ?
193 Non ferre ille tibi jucundi debita alumni
194 hoc sine discessu gaudia ? Non poterat
195 nunc quoque speratum genitrici reddere fructum,
196 hunc nisi mi luctum maestitiamque dares ?
197 Sed quid ego vanis nequidquam questibus insto,
198 Bucreti, et patriae bella tuae moveo ?
199 Illa tenet jam te, et fovet acri sedula cura,
200 nec quoquam e molli mittet abire sinu,
201 vel precibus vel mota minis nec jam ulla tui spes
202 linquitur, aut votis causa locusve meis.
203 Sed venit modo cunctarum distractio rerum,
204 venit discidium, maestaque vastities ;
205 venerunt mala cuncta mihi bonaque omnia tecum
206 fugere his miseris perdita dividiis.
207 Nec mihi jam praeter luctum, tristesque querelas
208 quidquam infelici restat in exsilio.
209 Scilicet una mei casus medicina madentes
210 perpetim erunt lacrumae et cum lacrumis gemitus.
211 Aeterni gemitus, quibus ut sine fine ferendis
212 sufficiam, Coeum pectus habere velim.

213 Ergo gemo, ergo fleo ; et gemitu exedo corda perenni,
 214 fletibus undantes et perimo usque oculos.
 215 Hinc languore stupent praecordia, luridus ora
 216 pallor, et exsanguis corpus habet macies.
 217 Nec jam pectori inest ferme vis ulla gemendi,
 218 vixque oculis fletus humida gutta venit.
 219 Non tamen aut gemitu aut lacrumis desistere possum,
 220 cum praeter gemitus nil habeam ac lacrumas.
 221 Te quando specto, divinaeque optima mentis
 222 munera, certatim quae tibi Dii dederunt ;
 223 nec par ingenti Phoebus potis esse dolori est,
 224 nec tute es, tua nec sunt bona flenda mihi.
 225 Ergo animo afflicto si fors quid Apollo ministrat,
 226 effundo trepidos pro lacrumis numeros.
 227 Me quando specto, turbataeque acria mentis
 228 vulnera, certatim quae mihi Dii dederunt ;
 229 nec par ingenti Phoebus potis esse dolori est,
 230 ipse et ego, mea sunt et mala flenda mihi.
 231 Ergo animo afflicto cum nil fere Apollo ministrat,
 232 effundo tepidas pro numeris lacrumas.
 233 Te quando simul et me specto, ac mutua corda
 234 utrimque hoc scaevo languida discidio ;
 235 turbantur cuncta, et Phoebos certante dolori,
 236 effundo mixtos cum lacrumis numeros.
 237 Sic agitur mihi vita et sic consumitur aetas
 238 perpetuo in fletu, perpetuo in gemitu.
 239 At dolor ille tamen nulla ratione levatur,
 240 nec desiderio est ulla tui requies.
 241 Hoc etenim spes nulla licet suffulciat, usque
 242 crescit, et arcana vi usque alimenta capit.
 243 E lacrumis alimenta capit, quibus ex die in horas
 244 invigilo, et multis mortibus immorior.
 245 O saltem plaga liceat defungier una,
 246 nec lentis adeo hinc inde trahar gradibus !
 247 Heu trahor et retrahor momentis omnibus, et non
 248 cura mihi pausam scit facere exiguam !
 249 Tu vero, Bucreti ; artis complexibus haerens
 250 carorum, et patriae molliter in gremio
 251 fusus, agis festas hilari nunc pectore luces,
 252 dulcibus ac celebras otia laetitiis.
 253 Heu, sors dissimilis nimium ! Lugente sodali
 254 gaudia tu, et risum flente beatus habes.
 255 Nec tamen invideo. Procul est procul invidia : haud me
 256 tabe sua livor tabificus tetigit.
 257 Nec fas ambrosiae reor invidisse liquorem
 258 diis superis. Non me tanta tenet rabies.
 259 Immo me et exhilarant et opacae nubila mentis
 260 parte aliqua tua mi gaudia discutiunt.
 261 Tu saltem, dum fata sinunt, sume undique tutus
 262 laetitiae oblatum nectar et ambrosiam.
 263 Sis felix : meritisque tuis quae munera Divi
 264 munifica exsoluunt exsolventque manu,
 265 aetatem iis frui, et segura mente triumpham,
 266 atque mihi columen vive meum incolume.
 267 Me satis est irati adversis flatibus Euri
 268 jactari rapidis fluctibus in pelagi.

269 Me satis est scopulos varios, Syrtesque Charybdesque
 270 infames misero tangere naufragio.
 271 Me satis est. Te blandisono cum murmure laetum
 272 per mare jucundi flabra vehant Zephyri.
 273 Ne tamen immemorem nostri te oblivia reddant,
 274 si mereor, vigili quaeso cave studio.
 275 Nec renue incepti stadium decurrere amoris,
 276 junctaque constanti vincla fovere fide.
 277 Mutua ego aeternum faciam, nec carior umquam
 278 te uno, dum vivam, vivam ita, mi alter erit.
 279 Quin tui amor tantum assiduas mihi crescet in horas,
 280 quantum amor et Phoebi crescet et Aonidum.
 281 Vivam Bucreti, moriar Bucreti in amore,
 282 Bucreti ut celebri nomine concelebrer.
 283 Cumque extrema dies aderit, Jovis in Philii ara
 284 hunc tibi supremo, en, igne cremabo animum.
 285 Hoc de me certum. At si quid potero amplius, omne
 286 quod potero cunctis viribus efficiam.
 287 Teque adeo, Musae faveant modo, et aequus Apollo
 288 non, exspectato deserat auxilio :
 289 te, quem jam ante omnes clarabit adorea in annos,
 290 summa cerebrigenae ac vivida adorea Herae.
 291 Te quem fama volans late gemmantibus alis
 292 sublatum Eois dicet et Hesperiiis :
 293 illum te et talem venturis inserere annis
 294 conabor nostris dehinc quoque carminibus.
 295 Aut id si nimium est, et tanti haud conscia Musa
 296 roboris, istud fors aggredi opus renuet ;
 297 saltem, quod potero, insignem hunc testabor amorem,
 298 quantaque sit nostri pectoris integritas,
 299 ostendam, ut seri Fidei monumenta nepotes
 300 alterni et specimen foederis adspiciant.
 301 Quod si etiam scabro quisquam te arrodere dente
 302 vexatus Stygiis in vidiae stimulis,
 303 occipiat, quamvis nihil invidia ipsa procaci
 304 cum livore tibi detrahare inveniat,
 305 si tamen occipiat, mihi erit simul ac patefiet
 306 nominis et laudis maxima cura tuae.
 307 Ista tibi numquam fore sanctis omnia verbis
 308 (en tango hosce oculos) irrita polliceor.
 309 Flos hominum, flos sancte hominum, flos sancte Deorum,
 310 Bucreti o Divum deliciae atque hominum !
 311 Bucreti o patriaeque oculus sidusque perenne,
 312 summaque Varniaci gloria gymnasii !
 313 Accipe quam tibi juro fidem, nec forte puta me
 314 promissi fictis ludere imaginibus.
 315 Accipe et has maesto quas fudi corde querelas,
 316 tristitiae ac luctus symbola certa mei.
 317 Accipe quae scripsi, et tibi quae nunc scripta feruntur,
 318 quo sunt scripta animo pellege, queisque oculis.
 319 Quid dixi ? Iisdem oculis, animoque haec pellege eodem,
 320 quo sunt scripta animo carmina, queisque oculis ?
 321 Ne vero, ne Bucreti. Tune illa, quibus nos,
 322 iisdem oculis videas, eodem animoque legas ?
 323 O absit procul ! Illo animi candore et amicis
 324 quo et quibus haec scripsi, pellege nostra oculis.

325 Id volui et dixisse volo. Nos scripsimus ista
 326 turbatoque animo turgidulisque oculis.
 327 Tu laetis ea cerne oculis, animoque sereno
 328 pellege : non ullo digne malo Juvenis.
 329 Non digne ingratis pectus corrodere curis,
 330 non digne aetherios fletu hebetare oculos.
 331 Omnigenis sed digne bonis, quae puriter actae
 332 et vitae debent et meritis Superi.
 333 Sat mihi, si faveas saltem conatibus istis,
 334 ac tenui hoc placeat Musa mea officio.
 335 Sed jam triste vale, quod coram dicere nobis
 336 haud licitum, e mutis accipe versiculis.
 337 Dii, quorum variis opulescis dotibus auctus
 338 undique fortuna, corpore et ingenio.
 339 Diique, Deaeque simul, quarum tu semper amore
 340 magnus et ipso olim tempore major eris :
 341 dent tibi tranquillae felicia fata juventae,
 342 mollia pacatis otiaque in studiis.
 343 Dent tibi postilla laetam viridemque senectam,
 344 atque onera incani dura abigant senii.
 345 Et quia jam aeternae debent tibi praemia famae,
 346 emerita ingenio praemia, Pierides ;
 347 ipse etiam Musis longi sis debitor aevi
 348 victurus Pyllo saecula plura sene.
 349 Hoc sibi Pierides optant, hoc optat Apollo,
 350 optat et egregium docta corona Virum.
 351 Hoc optat Patria, et conjuncti sanguine amici,
 352 optat idem tuus hoc unice Acidalius.
 353 Optat idem, precibusque piis pia numina poscens
 354 pro te votivis saepe facit numeris.
 355 Salve, o Bucreti, sol o meus unice, salve,
 356 Bucreti o, iterum salve, iterumque vale.

IN OBITUM ILLUSTRIS JACOBI CURTII, AD JO. MAT. WACKERUM. III.

A4_03 v.1 Curtius ergo fuit ? Famae non credo sinistrae,
 2 et fugio infaustae nuntia scaeva Deae.
 3 Sed tu scribis idem, tibi fas et credere, magna
 4 Wackere, aulae pars et nova Caesareae.
 5 Invitus quoque credo tibi, vanumque nimis te
 6 heu verum, auctorem (da veniam) esse velim.
 7 Curtius ergo fuit, fuit ergo Curtius, eheu
 8 quam libeat nunc mendaci etiam esse mihi !
 9 Sed fuit. Et nos illi extincto funebre carmen
 10 immaturas debemus in inferias.
 11 Esse pium par est tam sanctis manibus : et tu
 12 conantem huc ultro me prior ipse vocas.
 13 Exemplo monituque tuo, flentemque Camenam
 14 porro etiam in maestis sollicitas lacrimas.
 15 Quid vis ? Ecce fleo dudum, Caeaeque retracto
 16 naeniae honoratas munia ad exsequias.
 17 Sed quid praeter flere jubes ? Praeconia versu
 18 curtia vis etiam pangier ipsa meo ?
 19 Curtia victuro pangi praeconia versu,
 20 a magno debent nec nisi vate cani.

21 Nos tenues nihil in tantas laudabile laude
22 condere vis angustae artis egena sinat.
23 Qui si quid possim, me illi devovero totum,
24 atque operam omnem uni surripiam huic oneri.
25 Nunc neque vel tentare mei mihi conscius ausim,
26 officium et quid me perdere tale juvet ?
27 Quod possum plane facio, et quod debeo. Nam quis
28 non debet lacrimas Curtiadae tumulo ?
29 Curtiadae, cujus meritis Germania plena est
30 tota, nec Europae vel regio ulla vacat.
31 Ille sacro admotus clavo imperii, atque secundo in
32 puppe locatus ab ipso induperante loco,
33 omnia demeruit sibi devinxitque merendo,
34 omnibus unus commune fuitque bonum.
35 Huic privata simul res, huic res publica debet,
36 cumque agris urbes, regnaque cum populis.
37 Huic homines debent, debent huic numina : docta
38 praecipue et doctis numina culta viris ;
39 ipsi culta etiam prae aliis, et honore perenni
40 ad fati extremum condecorate diem.
41 Ergo iterumque iterumque fleo, et flent omnia mecum
42 tam carum amissum, tam meritumque bene
43 patronum patremque, et in illo amissa tot uno
44 hei bona ! Quis fletu temperet et gemitu ?
45 Cuncta dolore jacent, et foedo squallida luctu,
46 obruta pullatae sortis amaritie.
47 Cuncta suum tacite, aut singultibus interrupto
48 ah frustra, quaerunt sed tamen usque sono.
49 Aula suum magis, ipsa suum magis aula requirit :
50 quae ceu desolata unius hoc habitu
51 stat miserando inhonora habitu, raucisque querelis
52 personat, et planctu rumpitur assiduo.
53 Sed Germania et ipsa, sed induperator et ipse
54 Romani Augustus sceptrifer imperii,
55 sentit in hoc sua damna, haud tenuia funere damna :
56 sollicitus reparaet quo sua damna modo.
57 Indignatus et ereptum sibi tempore in isto
58 mussata caelum pulsitat invidia.
59 Pectoraque in varias curis exercita curas
60 funere ab hoc implet tota dolore novo.
61 Jam satis est. Vixit satis ille, et vixit abunde,
62 mos cujus meruit Caesaris esse dolor.
63 Nec quisquam immaturus obit, tam nobile funus
64 qui jacet, hic cui stat exsequialis honos.
65 Sed vixit sibi sat noster, sibi vixit abunde
66 Curtius et laudi post sua fata suae ;
67 non illis etiam, cupidis quibus usque sui sat
68 viveret haud ullum temporis ad spatium,
69 quos desiderii aeterno nunc vulnere inanis
70 urit, inoblitis cura sedens animis.
71 Atque mori non dignus erat, vita hactenus acta
72 vitae dehinc meritis munera perpetuae,
73 si per fata foret, dignis sua praemia solvi,
74 nec meritorum Orco gratia staret iners.
75 Sic tamen, utcumque ereptus, non omnis ab orbe
76 raptus, adhuc nobis haud moriturus adest.

77 Vivus adest, superestque sibi semperque superstes
 78 irrita Parcarum despicit imperia.
 79 Fama Viri subnixa alis radiantibus auro
 80 et terras et lata aequora pervolitat.
 81 Et tellure levata ipsi contermina caelo
 82 magnum illud Curti nomine inane replet.
 83 Inque fatigato mundum clangore fatigans
 84 pennarum, Curti nil sinit esse rude ;
 85 nec quicquam sinet esse umquam immemor : omnia ubique
 86 quem docet, haud porro dedidicisse docens.
 87 Haec ita. Jam desiderio non sit modus illi ?
 88 Est modus. At totum quis tamen excutiat ?
 89 Ut minus atque minus fiat, Wackere, quid optem ?
 90 Consilium aut quod te meque aliosque juvet ?
 91 De te videris ipse : ego meque aliosque juvari
 92 posse per unum una te ratione putem.
 93 Dii faciant, quicquid Mors praefestina dierum
 94 eripuit justum Curtiadae ante diem :
 95 omne tuis addant annis mage candida fata ;
 96 et tua de Curti stamina staminibus
 97 aucta alto longum de vellere lenta sororum
 98 netricum ignavo pollice dextra trahat.
 99 Dii primum hoc ; magnus faciat dein Caesar, ut in te,
 100 qui periitque sibi, qui periitque aliis,
 101 Curtiaden, quo non queat ipse aliique carere,
 102 restituatque sibi restituatque aliis.
 103 Perque gradus illuc, quo caepit, deinde favore
 104 te efferat, unde alter derutus occubuit.
 105 Fallor, an in te sit redivivus Curtius, ex te
 106 damna obitus restaurabit acerba sui ?
 107 Fallor ego ? Quin nec periisse videbitur, inque
 108 Wackero ipse orbi Curtius usque aderit.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM DE OBITU FRIDERICI GROTI. IV.

A4_04 v.1 Ut nihil ergo aliqua firmum mortalibus ! Ut nil
 2 sinceri in vitae hoc turbine gaudii inest !
 3 At, nil gaudii, ego queror ? Ha, majora querendum :
 4 nil jam ah sinceri vita doloris habet !
 5 Dum graviore dolor gravior comitante dolore
 6 fertque fugatque dolorem usque novum usque novum,
 7 nec submersum animum umquam alto Oceano curarum
 8 in curas patitur rursus animare alias.
 9 Sic ego, sic te eheu modo, Bucreti optime, quassum
 10 indomitos maerorum adspicio ad scopulos.
 11 Sic eheu non fluctu uno, flatuque nec uno
 12 mens tua in ancipiti gurgite fracta natat.
 13 Dii quaenam aut unde haec turba insperata malorum
 14 agmine tam subito tamque valente ruens ?
 15 O unum illum utinam te fata dolere dolorem
 16 sivissent : nimio hic sat gravis unus erat !
 17 Dum patris hei pridem functi fatalia tecum
 18 immiti peragis tempora maestitia,
 19 solemnique pie caris de more parentas
 20 manibus, in gemitu totus et in lacrimis.

21 Quem puero quondam externis jam tum tibi in oris,
22 ipsum etiam extra ipsam (triste nimis) patriam,
23 mutuo et ore procul, procul amplexuque supremo,
24 scaeva venenato Mors necuit jaculo.
25 Cujus ego miserando habitu percussus et ipse
26 tecum una acri animum omnem exedo cordolio.
27 Nec minus ignotum haud notus quoque diligo, quam si
28 illi gnatus ego, mi pater ille foret.
29 Et patrem ipsum equidem haud temere mihi dixero, frater
30 prorsum in germanum tu mihi quando modum es.
31 Nunc tamen ut digno virtutes carmine pangam,
32 quarum in eo claro lumine fulsit honos ;
33 non operae est, neque vis sinit haec maeroris acerbi.
34 Olim erit id proprii forte laboris opus,
35 cum Bucretiadum antiquam alta ab origine gentem
36 miro in te inque tuos motus amore canam.
37 Nunc sumpsit id mihi, te solacii ut indigus ipsus
38 sortis in hac tanta soler amaritie.
39 Quae luctum cumulans luctu, ipso in tempore luctus
40 annui, iniquam in te rursus acuit Lachesin.
41 Heu Lachesin nimium facilem parere, tibi quae
42 tam carum haud verita est eripuisse caput !
43 Carum inquam affinem : quem rapto a patre parentem
44 alterum, et afflictae spem columenque rei,
45 sic vero coluisti animi observantis amore,
46 sicque amissum ullo nunc sine more doles :
47 ejus ut interitu interitum et tibi protenus optans
48 ulterius lucem posse videre neges.
49 Ah Bucreti ! Ergone animum mentemque animi ipsam
50 tam graviter plaga haec mascula stravit humi ?
51 Ah Bucreti ! Ah surge iterum, et solacia quando
52 non potiora tibi ferre alia ulla queo ;
53 adspice me, eque meo relevamen sume dolore,
54 totus dum miseris tecum abeo in lacrimas.
55 Adspice quin luctus sociam, suspiria multo
56 aegre ducentem cum gemitu patriam.
57 Adspice maerentes cives, tristemque Senatam,
58 unius ille unus queis dolor est obitus.
59 Adspice quin patriae ipsa etiam ardua moenia, pronos
60 maestiter ut desolata gemunt capite !
61 Quae Grotii auspicio prius astrato aemula Olympo,
62 artifice et textis aemula Daedaleis,
63 surgere vix dum coepta, gravi ejusdem icta ruina,
64 nutanti ad terram nunc prope mole ruunt.
65 Et ruerent, nisi fama viri hoc fundamine nixa
66 suaderet firmo stare perenne loco.
67 Ergo immota, licet non siverit Eumenidum ira
68 tanto operi supremam imposuisse manum,
69 stabunt, et meritum artificis, nomenque loquentur,
70 notum Urbis donec nomen erit populis.
71 Stabunt, atque adeo illi hoc nobile Mausolaeum
72 ad famam aeternae posteritatis erit.
73 Quo tamen absque aliis vivet quoque laudibus, ullo
74 annorum ignaris carpier a senio.
75 Namque hodie si etiam Lysippi fama superstes,
76 sique Polyclleti gloria dia manet,

77 saecula quae Grotium taceant, quo Phidiam in uno
78 vivere mirati Praxitelenque sumus ?
79 Testes tam egregiae monumenta illustria dextrae
80 plurima, nulla potest quae umquam abolere dies.
81 Sique aevum hoc tetigit Zeuxis, laudemque si apud nos
82 Parrhasii retinet ingeniosa manus,
83 quaenam aetas Grotium, nostrae illum aetatis Apellem,
84 illum Naturae vultibus arte parem,
85 ignorare queat, non mireturque colore
86 spirantes vivo vivam animam tabulas ?
87 Queis ille urbem omnem, queis delubra incluta summi
88 Numinis, Augusto sic decorata modo
89 excoluit, Naturae ut Bresla Deique theatrum
90 hinc immortalis nobilitate cluat.
91 Nam quid ego memorem illud opus, quod terra stupescit
92 ultima, quo nil jam pulchrius orbis habet ?
93 Suggestum, aio, illud sacrata in Numinis aede,
94 mirificis sculptum hinc indeque imaginibus,
95 marmore quod fosso primum ipso auctore, Sebotti
96 fecundo e montis aërii latere :
97 marmore sub viridi tralucentique perenne
98 duraturum artis constituit monumen.
99 Quid celebrare alia occipiam, clara omnigeno aevo
100 quae cum ipso memori fama sonore canet ?
101 Tumodo, Bucreti, his animum solare jacentem,
102 amissi ut levius tristia fata feras.
103 Quem merito haud equidem luges, cum incommoda mortis
104 vitae adeo penset laudibus eximiis.
105 Ecce autem hunc tibi dum studeo lenire dolorem,
106 praecipiti incursat te impete rursus alius.
107 Affinis subito, heu, natum quoque fata secutum
108 isse ait Orcinas nuntius ad tenebras.
109 O potius numquam has penetrasset nuntius oras,
110 nulla foretque oculis littera visa tuis :
111 quam novus iste, ex se levior, crudele prioris
112 ulcus acerbifico velleret ungue dolor !
113 Ne labare tamen, pectusque exsanguis vicissim
114 cordivoro misere conficias gemitu.
115 Nam felix sane ille puer, quem atra Atropos aevo
116 subtraxit variis in viridante malis.
117 Nec quia floridulum vernae virtutis honorem
118 crescere ad Autumnum Morta ferox vetuit,
119 censeris miserum fas est : puerilibus annis
120 nam bene qui vixit, vixit et ille diu.
121 At modo quod fulmen te icit denuo ? Hei mihi, nunc te
122 nunc vereor firmo stare potesse gradu !
123 Nam quoque et ipse Ursini ad nomen corruo, dum fert
124 ad communem etiam hunc rumor abisse locum.
125 O Divi o ! numquam sat horum funerum ? Opimis
126 numquam Orcum explebit Persephone spoliis ?
127 Ergo etiam lubitum ferro illum haurire cruento,
128 major in Aonio quo grege nemo fuit ?
129 Heu fuit ! Astraeae quo haud donis clarior alter,
130 nec Suadae potior laude quis aut Sophiae !
131 Sed me quo stimulans dolor abripit ! Heicce manendum est,
132 maerorem ultro auctum ne tibi forsit eam.

133 Nec locus hic, versu arto Ursini scribere laudes,
 134 quae laeta debent non nisi voce cani.
 135 Nunc et maestus ego, et maestro tibi carmine amaram,
 136 hoc tantum, studeo tollere maestitiem.
 137 Fors erit haud longe, ut junctim Ursinumque, tuumque
 138 Scharffium, et Europae Dudithium olim oculum :
 139 quos etiam heroes tibi amicos invida terris
 140 non pridem ad nigras fata tulere domos.
 141 Unanimis studio tollamus ad aethera Musae,
 142 unanimi tecum hos ut quoque mente colo ;
 143 cum primum e luctu, curis ponentibus, ad te
 144 quibus et ad Musae sacra redire tuae.
 145 Quod tibi uti cito sit, non jam o mi oculissime, duco
 146 ad mentem, multa te ratione, bonam :
 147 saltem illud meminisse tuum te, Vinco Ferendo,
 148 et cupio, imperium quodque meum est, jubeo.
 149 Vinces cuncta facul, neque sors, neque mors te adeo ulla
 150 incursu poterit suppeditare suo.
 151 Ferto igitur propriis ut te miremur in armis
 152 pugnantem auspiciis bella secunda tuis.
 153 Virtutique tuae ut gratans Epinicia cantet,
 154 virtutem puro pectore quisquis amat ;
 155 et dicat : "Novus en bellator inermibus armis,
 156 victus scit forti Victor abire fuga."

MANIBUS PETRI MEMMI. V.

A4_05 v.1 In te anima Asclepi migraverat, inclute Memmi,
 2 gentium et hoc passim nomine clarus eras.
 3 Nec modo vita eadem tibi et ars, divinaque facta :
 4 fata etiam imo eheu, ipsa fuere eadem !
 5 Ille Stygis censum assidue carpebat, ad umbras
 6 dum vetat aegrorum corpora posse rapi.
 7 Tu quoque Parcarum infregisti tristia jura,
 8 jam vacuus foret ut fiscus Avernicolis.
 9 Ille etiam Hippolyti distractum hinc indeque corpus,
 10 atque animam Stygiis jam fluitantem in aquis,
 11 ad deserta iterum revocabat munia vitae,
 12 certam ipso rapiens praedam Erebi e barathro.
 13 Tu quoque depositos non secius, ac Libitinae
 14 jam modo crudeli Persephonaequae sacros,
 15 rursum vitali donasti luce, et ovantes
 16 fraudasti optato saepe Deas spolio.
 17 Illum autem ipsum odio hinc atque ira percita acerba
 18 mors omni Stygia adjuta necavit ope.
 19 Et te etiam nunc, heu dolor, heu Memmi optime ! Parcae
 20 invidiae fixae cor rabidum stimulis,
 21 impete praecipiti invasere, tuaque triumphant
 22 Tartareae Furiae, Tartaraque ipsa nece.
 23 Ah Memmi ! at veluti jam Asclepi es fata secutus,
 24 sic te etiam Asclepi jure sequetur honos.
 25 Ille obita morte infernis retractus ab umbris
 26 adscriptus Superum mox fuit in numerum.
 27 Te Dii etiam tristi haud patientur claudier Orco,
 28 pro meritis numen sed quoque habere dabunt.

29 Jamque adeo, o Memmi, a populis tua busta coluntur,
 30 quondam ara Asclepi ut culta fuit populis.
 31 Ha recte ! In te anima Asclepi migraverat olim,
 32 vivus et hoc late nomine clarus eras ;
 33 nunc etiam in te honor Asclepi migravit, ubique
 34 functus et hoc clarum numine nomen habes.

LAURENTII LUDOVICI MANIBUS. VI.

A4_06 v.1 Ergone praestantes et caros post tot amicos,
 2 invida diversis quos mihi fata locis
 3 tempore diverso plures rapuere per annos,
 4 ceu jurata meos perpetuo in gemitus,
 5 te quoque Laurenti deinceps Ludovice carendum est,
 6 communemque isti non rediture locum ?
 7 Tot per lustra pie cum quo pius est mihi pridem
 8 cultus amor, sancte sanctaque culta fides.
 9 Non tamen irascor fatis, melioraque vitae
 10 auspicia, ad quae nunc mors tibi fecit iter,
 11 non sane invideo : vitae melioris, ubi nunc
 12 omnibus a curis atque labore quies.
 13 Praesertim, qui vitam actam heic cum laude, beate
 14 clausuris optato fine, vocante Deo.
 15 Sed sortem deploro meam, mea tristia vitae
 16 tempora, et has orbas te pereunte vices,
 17 cum te, te tam dulce caput, tam pectus amicum
 18 amisi, o animae pars male rapta meae !
 19 Si tamen amissum fas illum credere, saltem
 20 praemissum nobis quem dubitare nefas.
 21 Namque erit illa, erit illa dies, cum protinus ipse
 22 te quoque communem consequar ad patriam.
 23 Communem ad patriam, patrem, patrimonium, et unum id
 24 omnibus omnia quod sufficienter erit.
 25 Interea divina tuum benedictio nomen
 26 servandum memori consecret in tabula :
 27 quod jam nunc vitae in Libro scriptum esse, perenne
 28 mansurum, e nobis quis dubitare velit ?
 29 Non ego : cujus habe veteris constantis amici
 30 hoc quoque supremi muneris officium,
 31 elogiumque adeo istud acerbo in funere, quod non
 32 tam nostrae, etsi etiam, debeo amicitiae :
 33 quam Virtuti et Doctrinae Meritisque, fuisse
 34 maxima quae notum est, o Ludovice, tuis.
 35 Atque meum hoc verum tibi et ad te sit modo verbum,
 36 quo te, quoque animae corpus inane tuae,
 37 amplius haud te isto compellaturus in orbe,
 38 postremo maesti carminis alloquio
 39 prosequor ille etiam fidus post funus amicus ;
 40 sed mage qui quondam fidus amicus ero,
 41 tunc cum caelesti rursus jungemur in aula,
 42 inque domo, qua stat mansio multa piis,
 43 quam Patrem nobis apud aeternum ipse paravit
 44 Filius aeterni Christus imago Patris.
 45 Te laudans, verbis ut laudem et more Sophorum,
 46 si quem alium, dignum te voco jure virum,

47 optimus a cunctis qui et qui doctissimus idem
 48 doctis atque bonis concelebrere viris.
 49 Te laudans, verbis ut laudem et more Piorum
 50 si quem alium, dignum te voco jure virum,
 51 qui veri, qui pacis amans, studiosus et idem
 52 inter ubique pios concelebrere viros.
 53 Denique te laudans ut laudem munere ab ipso,
 54 munere qui ludi nempe magister eras.
 55 Dico fuisse Epicharmum "OS PAISIN CHRESIMA EIPEN"
 56 et titulo laus est haec satis ampla tuo.
 57 Omnia quae de te sincero pectore dicta,
 58 non verbis tantum sunt tibi dicta meis ;
 59 sed cunctorum eadem est hominum sententia mecum,
 60 quotquot eras doctis notus erasque bonis.
 61 Et multis bene notus eras, qui semper amice
 62 te coluere domi, te coluere foris.
 63 Nec pauci externa procul et regione fuerunt
 64 mirati ingenii dona animique tui.
 65 Verum jam Ludovice vale ; jamque incipe veram
 66 Divini oracli percipere usque fidem,
 67 de doctorum illa caelo mercede reposta,
 68 justitiae multos qui docuere viam.
 69 Salve iterum, o iterumque vale, carissime : felix
 70 nunc anima, o iterum salve iterumque vale ;
 71 usque in vivorum dum nos regione beata
 72 consorti jungat rursus amicitia,
 73 ille, in quo certe conjuncti viximus ambo
 74 in valle hac umbrae, mortis et in tenebris.
 75 At quando illud erit tandem ? Quando obsecro ? Cum tu,
 76 tu venies Jesu tempore Christe tuo.
 77 Jesu vera salus, et spes, et vita tuorum,
 78 vita mea, et mea spes, et mea, Christe, salus.
 79 Christe veni, bone Christe vide, Christe optime vince :
 80 si venias, videas, victor es. Eia veni.
 81 Eia vide, victorque tuos tibi junge triumphans :
 82 voto uno hoc claudunt omnia vota tui.

HENRICI ACIDALII PARENTIS OPTIMI MANIBUS. VII.

A4_07 v.1 Salvete, o cari cineres atque ossa parentis !
 2 Salve, o Elysiis umbra paterna jugis !
 3 En ego progenies tua te, pater optime, multis
 4 ad tua busta jacens invoco cum lacrumis.
 5 Audin' me, an superest etiam tibi sensus ? An aegrum,
 6 sic manes natum sollicitare tuos ?
 7 Ha pater, ha pridem ad tumulum istum debui adesse,
 8 et dare non laetas munus in inferias.
 9 Jam sextum aestivo ferventes sole calores
 10 autumnii egeledi mitior aura fugat ;
 11 nec dum postremo macto, eheu, munere mortis
 12 rite parentavit nostra Camena tibi.
 13 Da veniam nato, pater, impietate nec ista
 14 usque offensa mihi sit gravis umbra tua.
 15 Nondum ea vis Musae nostrae, ut te digna loquatur,
 16 nec, quem sperabas me fore, is esse queo.

17 Quo potero tamen, ut primum mihi posse videbor,
 18 solemni ipse tibi carmine justa feram.
 19 Efficiamque tuo ut ne turpis aranea quondam
 20 deserto cassum in nomine texat opus.
 21 Interea, salve atque vale, Pater : o puero mi
 22 rapte pater, salve perpetuumque vale.

IN JOHANNIS GROTI ALBUM. VIII.

A4_08 v.1 Tu quoque pulle sacer Phoebi Aonidumque sororum,
 2 janitor ! O Veneris facte manu, et Charitum
 3 fote sinu, dapibusque almis nutrite Minervae,
 4 nectare et Hebaei o usque madens cyathi ;
 5 tu quoque in aureolo hoc mea nomina stare libello,
 6 spectari et dextrae vis simulacra meae ?
 7 Scilicet inter eos et mi locus, incluta Phoebi
 8 ob studia in magno quos pretio orbis habet ;
 9 quosque ob virtutem pariter famamque superbam
 10 suspicis, et sancto corde perenne colis.
 11 Parce puer, non sum tanti ; neque fas mihi sedem
 12 heroum affectare hoc aliquam in numero.
 13 Nae male Bucreti imposuit censura tibi, olim
 14 me quoque qui ratus est esse futurum aliquem.
 15 Falleris, o Jane ! Et Bucreti, o te quoque nostri
 16 fallit amor, verum ut non videt ullus amor !
 17 Non tibi ego heic temere sat credulus, ipse mihi ipsi
 18 fidere tantillum qui trepidus nequeo.
 19 Tu quoque crede minus, quam te Bucretium acumen,
 20 Jane, jubet : dehinc me poscito et alta minus.
 21 Ecce tamen mi instas, nec dictis proficio hilum,
 22 et parere tuo cogis amore tibi.
 23 Ha trepido tantum ad facinus ! Sed si usque refrager,
 24 Quid juvet ? Et mentem en hanc quoque vincit amor.
 25 Si pecco, luet ille, ita qui peccare coegit,
 26 et tibi et auctori causa tuenda tuo.
 27 Jamque adeo lubet in meritam ambo inducere culpam,
 28 errori poenam ut solvat uterque sui.
 29 Dextra age, scribito Acidalium, imple hoc nomine chartam,
 30 nec pudor Heroum sit tetigisse latus.
 31 Perge, nimis belle nimium ulciscemur amorem ;
 32 tuque anime, huc grandes suggere jam numeros.
 33 Sed quid ago ? Retrahe o mens impetum, et hinc manus, hinc te
 34 de tabula : sat jam perdita charta tibi.
 35 Sat quoque jam puniti illi ; atque erroris utrumque
 36 paenitet, ad solas dum intremuere minas.
 37 Nec minae eae solae tamen. Impletum omne reapse est
 38 ante, reapse ipsum quam facinus facimus.
 39 En legimur libro hoc, et dum simulo illa negare,
 40 quae poscis ; dudum, Jane, negata dedi.

VALENTIS ACIDALI ELEGIARUM LIB. III.

AD DANIELEM RINDELEISCH BUCRETIUM MEUM. I

A5_01 v.1 Saepe mihi hoc dicis : non tantum in pectore nostro,
 2 verum ipsis quoque tu mi usque habitas oculis.
 3 Credo tibi, Bucreti : at magnum hoc ? Nonne ita et ipse
 4 vulgus ait, caros ferre suos oculis ?
 5 Non ita, non, subdis : cum vulgo non loquor, ut nec
 6 sentio cum vulgo, necte, uti vulgus, amo.
 7 Ne mihi sint oculi, nisi in his ego te fero ocellis !
 8 Tu modo ad hos oculos flecte tuos oculos,
 9 ipsum in iis ut te videas habitare, mesisque
 10 ipse fidem propriis tandem habeas oculis.
 11 Juppiter, et vos Dii, quantum est ! Quidnam heic modo cerno ?
 12 Anne ego sat video, tam nova qui video ?
 13 En Bucreti in luminibus me conspicio, atque en
 14 alter Bucreti e pupula Acidalius
 15 prospicit, obtutuque in me haeret fixus, in illo ut
 16 ipsus ego teneo fixam oculorum aciem.
 17 Mirum, o Dii mirum ! Sed enim o mi oculissime, credo,
 18 aut vestri illi oculi me eripere mihi :
 19 aut dum me assiduo speciunt, capti mei amore,
 20 conceptum inde ipsum me peperere sibi.

AD MAGNIFICUM GEORGIUM DHYRIUM DE GENTILITIIS INSIGNIBUS CONJUGIS IPSIUS. II.

A5_02 v.1 Dhyri, nobilium veteri de stirpe parentum,
 2 virtutum et proprio nobilis a merito,
 3 cum tua juncta tibi est, fati ducentibus, uxor
 4 (fatorum ductu nam tua juncta tibi est),
 5 auspicio tibi juncta bono est atque omine sancto,
 6 cui sua perpetuo est certa futura fides.
 7 Aspice quae patriae conjux insignia gentis
 8 inde usque a priscis tradita gestat avis.
 9 Tres panes, tres pisciculos, quos dixeris assos,
 10 et totidem plumas, cuncta ibi trina vides.
 11 Haec claris manifesta notis arcanius illud
 12 vi tacita clamant, quod loquar ipse, tibi.
 13 Qui Deus innumerum pavit bene panibus olim
 14 parvis, et paucis pisciculis populum,
 15 ille Deus sic teque, illamque, et pignora vestra,
 16 et vestri post vos seminis usque genus
 17 pascet aletque bene ; et facilis compendia victus,
 18 et quis cumque opus est, suppeditabit opes.
 19 Atque idem ille Deus, saturae post munera vitae
 20 pennarum vobis remigium inde dabit.
 21 In caelum e terris quo subvolitetis ad ipsum,
 22 victuri vitam jam sine fine novam.
 23 Ipse ubi vos sese ipso aeterna in saecula pascet,
 24 ambrosia ipse suis, nectar et ipse suis.

AD JOHANNEM CASELIUM III

A5_03 v.1 In te, quodcumque est Venerum, quodcumque leporum,
 2 quicquid ubique joci, quicquid ubique salis,
 3 in te, doctrinae quicquid potioris et artis,
 4 virtutum et veri quicquid ubique boni :
 5 omne habet in te uno, ac sedem sibi, magne Caseli,
 6 in corde, in cerebro fixit, et ore tuo.
 7 Hinc quibus et virtus, doctrina, salesque, leporque
 8 cordi, ad te certatim undique et usque ruunt.
 9 A te illis virtus, doctrina, salesque, leporque
 10 quaeritur, et votis plus datur et melius.
 11 Hinc flos siderei ille chori ; patrima virago,
 12 Latoides, Peitho, Pierides, Charites,
 13 oblitae sua regna, tuo comites lateri haerent
 14 perpetuo, et tecum non nisi vivere amant.
 15 Te sectantur, amantque, placent et te sibi in uno :
 16 in te et quaeque sui conspiciunt effigiem.
 17 Ut te adeo aut Divae hae genuisse Deusque, vel ipsas
 18 tu videre Deas et genuisse Deum.
 19 O superet caput hoc ; causae et Germane tibi nil
 20 cur tantillum aliis gentibus invidias !

AD HENRICUM BRUCAEUM. IV

A5_04 v.1 Assiduum cum morte tibi, Brucae, duellum,
 2 tu servare homines, perdere at illa cupit.
 3 Stant a parte tua, medicae pater artis, Hygea,
 4 Cheiron, Asclepi dives opisque manus.
 5 Mors contra morborum acie et turbantis Averni
 6 horrendo hinc atque hinc cincta satellitio est.
 7 Illa suum ferrum in mortalia corpora stringit ;
 8 tu reprimis, subito aut vulnera facta ligas.
 9 Sicque manu valida morborum atra agmina sternis,
 10 ipsa etiam ut victas det tibi paene manus.
 11 Et certe timet illa sibi, tot tantaque cum jam
 12 victor honoratus parta tropaea habeas.
 13 Sed timor hic audaci illam in te concitat ira,
 14 praecipua caput ut nunc petat arte tuum.
 15 Hactenus usa tamen cassis est viribus : at si
 16 tandem etiam victorem opprimat illa suum,
 17 quod nulli est vitare homini, quid tum tibi sortis ?
 18 Hospitium tuae ubi, te superato, animae ?
 19 Non illam Elysios Stygium per flumen ad agros
 20 transvehet annosus navita hiante rate.
 21 Sed procul arcebunt etiam post fata suum hostem
 22 mors, Plutoque, cohorsque omnis Avernicolum.
 23 Ne diffide tamen : nabis sine nave Charontis
 24 ad communem, etiam nullo Acheronte, locum.
 25 Privus erit fluvius, qui te plorantium ademptum
 26 undosis fiet tunc hominum e lacrumis.
 27 Trabs quoque priva tibi. Nam qui vice sit Trabis, ecce
 28 arcum substernet ipse Apollo suum.
 29 Quem dein arcus habet, nervo e stridente rudentes

30 conficies celeri rite magisterio.
 31 Asclepi e baculo malus formabitur altus,
 32 Chironis remum longa sagitta dabit.
 33 Ipsa Hygiea peplum proprium feret, unde parentur
 34 carbasa veliferis flatu agitanda animis.
 35 At baculo Asclepi qui se implicat arduus Anguis,
 36 spirabit tumido sibila pro Borea.
 37 Quin tibi Divum etiam suspiria densa, feratur
 38 cymba tua ut celeri flamine, ventus erunt.
 39 Sicque ubi permensus pelagum Plutonia ad antra
 40 veneris, obscuras nocte silente domos,
 41 tange manu citharam, quam Phoebus in hos dabit usus,
 42 nemoque te ingressu tum prohibere volet.
 43 Ipsae sed Furiae, Orpheo olim ut carmine, mites
 44 te propria ducent ad loca amoena manu.
 45 Ha tum plaude tibi, et victrice ex Morte triumphata,
 46 mortuus en iterum vincere quam potis es.

AD NATHANEM CHYTRAEUM. V

A5_05 v.1 Errantem roseos dum te, Chytraee, per hortos,
 2 et tua cantantem dulcisono ore mele,
 3 a tergoque duces Divas te hinc inde sequentes
 4 adspicit obliquo lumine Varniades ;
 5 versus ad Aonides Phoebus, quid jam mea turba ?
 6 Quis novus hic hortus, quis novus hic Helicon ?
 7 Quae Musae illae aliae, quis et unde ille alter Apollo ?
 8 Hei nobis, divae, noster honos periit !
 9 Noster honos periit, periit Parnassus, et undae
 10 quodcumque Aoniis fontibus est, periit !
 11 Et Varnum, latices ut pleno gurgite volvit,
 12 pro Clariis vatibus quos modo turba bibit.
 13 Quin fugimus junctim. Sed enim fuga qua patet, ut nos
 14 haud usque ulterius fama secuta fuget ?
 15 Ipse ego me caelo includam : vos ite Sorores,
 16 et socias cito vos jungite Varniasin.
 17 Ite, pudor neque Chytraeum (nam is postmodo Phoebus)
 18 et laurum nostram quam gerit ille, sequi.
 19 Vixes, cum subito aethereum impete fertur ad axem ;
 20 ad te Pieridum turba relicta fugit.
 21 Nunc alios jactet Vates Germania : Phoebus
 22 cui cedit, sit huc quem reperire parem ?

AD JANUM GRUTERUM. VI

A5_06 v.1 Cum tua primum anno, Grutere, pericla viderem,
 2 obstupui ad titulum totus et obrigui.
 3 Mox rumpens vocem ah nova, dixi, unde ista pericla ?
 4 Cujus, adhuc taciti, haec nuntia amara mali ?
 5 Dein ubi prensa manu coepissem inhiare, melosque
 6 legissem unum avidis alterum itemque oculis,
 7 redditus ipse mihi, rursum, o jucunda pericla !
 8 Omnis et o, dixi, plena pericla boni !
 9 His utinam liceat mihi mactari usque periclis,
 10 quam grata illa inter vita pericla fluat !

11 Nec calor ille abiit, sed lucibus inde coegit
 12 continuis noctes addere pervigiles :
 13 immemor ut somni librum ad calcem a capite ipso
 14 perlegerem, et cupido cuncta vorarem animo.
 15 Tum vero plenus Phoebeae illa ambrosiae aura,
 16 ebrius Aonii nectaris et latices,
 17 sensi, res quod erat, Grutere ; ac carmina non haec,
 18 non, inquam, humani sunt opus ingenii.
 19 Aut praeunte isthaec Gruterus Apolline cantat,
 20 ipso in Grutero aut ipsus Apollo canit.
 21 Sed clamat titulus, Phoebum ipsum in te esse, pericla
 22 dum facit, an credit tu quoque Apollo queas.

AD CHARONTEM DE SALOMONE ALBERTO. VII

A5_07 v.1 Quid cariose Senex, tam crebris astra querelis
 2 sollicitas, maesto te ipse vorans gemitu ?
 3 Scilicet inferni cruciant te damna popelli,
 4 nunc tam rara tuam quod premit umbra ratem :
 5 fiscus et exhaustus, pauco veniente triente,
 6 inque diem vacuus fit magis inque diem.
 7 Ipsa et trabs etiam tua iners in margine pigro
 8 otia agens, rimis solvitur et carie.
 9 Scilicet est ita ; nec frustra anxia pectora curis
 10 exerces, miseris et querula ora sonis.
 11 At bone, fige modum lamentis, portitor : olim
 12 in melius vertet res tua, resque Stygis.
 13 Scin' vobis quid fraudi hodie ? Mortalibus aegris
 14 salva salutiferi dum Salomonis erit
 15 dextera, opis medicae mire ingeniosa magistra ;
 16 nulla anima Orcinis praeda vehetur aquis.
 17 Ipsum fata tuos ubi cogent quaerere remos,
 18 longe hominum, longe vota quod esse volunt.
 19 Tum deinde umbrarum ad tua littora perpetuo ingens
 20 turba ruet, veteri vix capienda scaphae.
 21 Interea tacito Libitina quiete feretro
 22 dormiat, officio ut post satis esse queat.
 23 Tu quoque tu puppim laceram compinge, fatiscat
 24 ne in medio nimio pondere victa lacu.
 25 Jamque opis ille tuae cum venerit indigus, Orci
 26 aucturus, modo quem deminuit, numerum ;
 27 plaude manu tibi utraque et tota cum Styge opimis
 28 usque adeo aeternum laetus ova spoliis.
 29 Parce tamen mercede illum portare per undas,
 30 poscere ab hoc sueta o naulia parce, Charon.
 31 Ha quanto postilla alii cum fenore quanta
 32 nomine persolvent illius aera tibi.

AD JACOBUM HORSTIUM. VIII

A5_08 v.1 Tanta tuas, Horsti, semper ruit undique ad aedes,
 2 a te quae medicam turba requirit opem :
 3 otia nulla tibi ut superent, doctum aurea scripta
 4 queis legere, aut alios lecta docere queas.

5 Et tamen assidua multi sub mole negoti
 6 sic tibi tete ipsum subtrahis assiduo,
 7 ut doceasque legasque in Cois illaque scriptis
 8 vestiges, doctos quae latuere alios.
 9 Credibile est ipsum Hippocratem freta trans Acherontis
 10 gaudere, hoc tandem et rite placere sibi
 11 ordine, tu Diis quem in lemmasin esse videsque
 12 primus et arguto haud invidus ore doces.
 13 Credibile est, jam nunc cupide exspectare quoque illum,
 14 ad Styga te coram cernere uti liceat.
 15 Ha, quam illic laeto exciperet te pectore ! Cunctis
 16 manibus, ha, tu unus quanto in honore fores !
 17 At tu heic vive diu, nec honor Stygius tibi tanti,
 18 ut sit inhumanas visere amor tenebras.
 19 En honor in Superis potior : nam quis pote major
 20 hoc, Superos ope non posse carere tua.

AD MARTIMUM BIERMANNUM. IX

A5_09 v.1 Nuper Atlandiades jussa Jovis infera ad Orci
 2 regna means, campos visit ad Elysios.
 3 Utque pedem primum in valles penetrasset amoenas,
 4 queis sanctae ducunt otia longa animae ;
 5 ecce inter sese discordes cernere rixas
 6 agmina manium ibi litigiosa videt.
 7 Jam vaga fama etenim de te, Biermanne, silentum
 8 attigerat viduas luce perenne domos.
 9 Hinc Medici, Cousque senex et Pergami alumnus,
 10 te medicum cupiunt asserere in numerum.
 11 Inde Sophi, Plato, Aristoteles, et Socraticum cor
 12 ad classem pugnant te retulisse suam.
 13 Tum reliquae turbant umbrae : pars partibus istis,
 14 pars illis certa seditione favent.
 15 Jamque furor veget ; at proles Cyllenia, judex
 16 ambiguae capitur litis ad arbitrium.
 17 Ille, alte extensa medio super agmine virga :
 18 "Quae nova pacatis rixa, ait, orta locis ?
 19 O potius taciti residete, quiescite Manes !
 20 Frustra est de tanto litem agitare viro.
 21 Quin gaudete, diem jam vos obiisse supremum,
 22 orbi dum hoc hominis Daemonium superest.
 23 Nunc et honor vobis manet : at si vita maneret,
 24 nec vivis nec post fata maneret honos."

AD WISTOCHIUM, PATRIAM, X

A5_10 v.1 Si mea quid posset doctum testudo sonare,
 2 tersis quod gratum se probet auriculis,
 3 non ego Wistochium, o dulcis mihi patria, sic te
 4 obscuro paterer delituisse loco.
 5 Sed te sublimi mecum super astra volatu
 6 Musae pernicious remigio eveherem ;
 7 nec foret ulla ullo tellus sub sidere, quae dehinc
 8 urbibus in claris te quoque non caneret.

9 At quam me ingenio tenui produxeris, et quam
 10 nullus honos nostrae, conscia mi es, citharae.
 11 Ut tamen insigni possis clarescere fama,
 12 et residem ignota tollere verticem humo :
 13 sunt alii et porro tibi erunt, sintque o precor ! A queis
 14 clara tibi fama lux micuisse queat.
 15 Et jam certe aliquem video tibi surgere Solem :
 16 hunc cole et hoc jam nunc auspice tolle caput.
 17 En tibi Tuscarum, genii ingenique potentem
 18 dotibus, en docta nobilem ab arte virum.
 19 Is dabit, ipsa meo cum haud sit te ut nomine jactes,
 20 nomine me jactem postmodo ut ipse tuo.

AD REINERUM REINECCIUM. XI

A5_11 v.1 Reinecci, a puero sophiae quem nectare Pallas,
 2 aetheria et Clio nutriit ambrosia.
 3 Reinecci, qui magno animo, magnoque labore
 4 aggredieris nostri temporis historiam,
 5 quaeque diu priscis latuerunt abdita saeculis,
 6 ad lucem e tenebris eruis, eque situ.
 7 Guelphiadumque Ducum repetita ab origine prima
 8 stemmata, et augustae fortia facta manus
 9 perpetuo condis calamo, redivivaque fama
 10 dehinc ulla prohibes lumina nocte tegi.
 11 Quas tibi pro tantoque animo tantoque labore,
 12 nocte dieque cui pervigil immoreris.
 13 Quas aevum hoc grates referet ? Quae digna repono
 14 praemia ? Non meritis ulla sat aequa tuis.
 15 At satis o habeas, nos te unum agnoscere saeculi
 16 hujus, et unanimi te canere ore oculum,
 17 per quem olim cernent nos nostraque gesta minores,
 18 quo sine nil nostri post sciat ulla dies.
 19 Cetera quae tibi debentur, dabis ipse tibi ipsi,
 20 quo dare non quisquam quit potiora aliis.
 21 Nam vita quidnam est potius, quam per tua scripta
 22 das pariter terris, principibus, populis.
 23 Quei simul haud etiam, ter maxima praemia, eandem
 24 dent tibi, qui scriptis es sua vita tuis ?

IN SCITUM DANIELIS RINDFLEISCH BUCRETII MEI. FERENDO VINCO. XII

A5_12 v.1 Ancipitem tecum pugnat Sors callida pugnam,
 2 teque suo quoque vult subicere arbitrio.
 3 Nil agit : obnixus tu contra, nobile pectus
 4 et validas offers fortia ad arma manus.
 5 Haec ferit ; haud tu illi cedis, sed comminus ictus
 6 excipiens scuti tegmine membra tegis.
 7 Quin etiam referis ; sed enim iste imbellior ictus,
 8 quando aliud nil, quam ferre, ferire tuum est.
 9 Tu tamen hoc telo quantumvis fretus inertis,
 10 sortis acuta facul vincere tela potes.
 11 In scutique tui descriptum margine scitum
 12 obtendis sortis, Vinco Ferendo, oculis.

13 Quo magis irritata illa omni robore torquet
 14 spicula, et usque in te vi violente ruit.
 15 Tu nihilo perstas minus, altae rupis ad instar,
 16 nec fluctus quam nec flabra Borea movent.
 17 Sed quonam tandem dubiae haec certamina pugnae ?
 18 Et sors victricem se hinc feriendo probat ;
 19 et tu victorem te jactas inde ferendo,
 20 Bucreti : ergo utri palma beata manet ?
 21 Palma tua est, nam tu dum vincere, vincis ovasque ;
 22 at Sors dum vincit vincitur et teritur.

AD GREGORIUM GUNTHERUM. XIII

A5_13 v.1 Dulcacidus cui dictus amor, ne huic nomine vero
 2 dictus, et haud ulli tam bene notus amor.
 3 En tu qui mecum vix jam, Gunthere, fidelis
 4 aurea raptus eras sub juga amicitiae,
 5 Gunthere, o melici medicique Dei incluta proles,
 6 o saltem in curas mi date amice meas.
 7 En mihi continuo ereptus, procul exigis a me,
 8 a te aevum ipse procul exigo nunc viduum.
 9 Utque mihi haud pridem tantillo tempore tecum
 10 esse, fuit dulci dulcius ambrosia :
 11 sic modo et aetatem dehinc a te forte remotum
 12 esse, mihi est tristi tristius helleboro.
 13 O Superi, Superi, vestro sub numine sacra
 14 qui regitis juncti jura sodalicii,
 15 si quae jam puro sese ardent corcula amore,
 16 immerito vobis sic cruciari lubet ;
 17 perfidia et ficto qui fallunt pectore amicos,
 18 quae merito poena iis, quis cruciatus erit ?

AD JOANNEM FINCRIUM VRATISL. XIV

A5_14 v.1 Et te Jane, tuae lumen praenobile Breslae,
 2 compellare rudes audeo per numeros.
 3 Audeo. Sed quis tam audacem facit impetus, ut te
 4 tantum non verear sollicitare hominem ?
 5 Cogit amor, magnis stimulans mea pectora flammis,
 6 ignoto ignotus carus ut esse velim.
 7 Unde mihi, quaeris, tanti vis fervida amoris
 8 claustra sub incensi repserit ima animi ?
 9 Ne quaere. Aonidum quis amator, te quoque qui non
 10 una amet, Aonidum qui cluis unus amor ?
 11 Sed me etiam vis major agit, doctissime Fincki,
 12 nec modo me hoc uno fixit Amor jaculo.
 13 En istud quanto gravius ? Bucretius ille
 14 cujus ab una anima spiro trahoque animam :
 15 ille tibi consanguineo conjunctus amore,
 16 me rapit et parili inflammat amore tui.
 17 Nec tu devotum ignoti aversabere pectus :
 18 quin spes est, mecum mutua ut et facias.
 19 Aut si fors renues, dum adeo Bucretium amabis,
 20 cogere invitus me quoque amare simul.

21 Nam qui illum sine me tibi amare sit, ipse ita totum
 22 quem induit, ut totos usque sit ipsius ego ?
 23 Sed minime renues, utque odisse haud potes illum,
 24 me quoque nec poteris, non nec amare voles.
 25 O Bucreti uno qui sunt in pectore juncti
 26 tam bene, et unus eos quam bene junget amor !

AD JOANNEM AB HOECKELSHOVEN VRATISL. XV

A5_15 v.1 Non tibi visus ego, non tu mihi visus es umquam,
 2 Jane, novenarum maxime Virginum amor.
 3 Et tamen invisum ipse ego te sic diligo, pauci ut
 4 praecipua intimi amant membra sodalicii.
 5 Quei fieri hoc pote sit, Jane o carissime ? Vel quei,
 6 sic ut amem, potius non fieri pote sit ?
 7 Te meus alter ego Bucretius ardet, habetque
 8 corde tuo penitus corque animumque suo ;
 9 tu parili tuum amore ardes Bucretium, habesque
 10 corde illius item cor animumque tuo.
 11 Hinc quei etiam ipse tui non flagrem totus amore,
 12 totum si volo Bucretium amare meum ?
 13 Tu quoque ames me Bucreti tui amore necesse est,
 14 Bucreti cum habitem pectore totus ego.
 15 Quin illius uti sum, sic tuus : illius ut tu
 16 contra jure eodem cogeris esse meus.
 17 Annuis ? An qui sim quaeris prius ? Ha, tibi notus
 18 sum nimium, notus si satis ille tibi.
 19 Annuis. O Dii, quem similem huic vidistis amorem ?
 20 Ecce unam spirant corcula trina animam !

AD WOLFGANGUM ZEILEISEN. XVI

A5_16 v.1 Nec frustra tibi cor de nobiliore metallo
 2 effinxit sollers Iapetionides.
 3 Nam Wolfgange, quid in vulgo marcescere, lenta
 4 et trahere in vanis otia deliciis ?
 5 Te genioque alacri et vi mentis vividae ab usque
 6 iis annis, aliquid queis licitum est sapere,
 7 natali procul a nido, procul ore parentum,
 8 et cognatorum dulcibus alloquiis.
 9 Externos juvat populos invisere, et orbis
 10 vestigare vago pervia regna pede.
 11 Nimirum quia te civem mundi esse sciebas ;
 12 qua pote, erat totam noscere amor patriam.
 13 Macte o hoc animo, juvenum cultissime ! Tamque
 14 difficilis post tot dura pericla iteris,
 15 nunc jam blanda iterum sectare umbracula Phoebi,
 16 Pieridum inque sacro suave quiesce sinu.
 17 Pellaeum extollant alii juvenem : spatia orbis
 18 pluria cui quondam perdomita esse canunt.
 19 Quantum hoc, totum animo cepisse orbem, omniaque orbis
 20 secum avecta cata mente tenere bona ?

AD ALEXANDRUM HAKE. XVII

A5_17 v.1 Nobilitas nil paene hodie, nisi nobile nomen ;
 2 cetera, vix quidquam est nobile nobilibus.
 3 Rari, queis virtus potior, quam stemmata multis
 4 undique majorum spendida imaginibus.
 5 At tu, si quis in his, certe unus es, aurea virtus
 6 queis cordi et Musarum incluta sunt studia.
 7 Unus in his certe es, sanguis generose parentum
 8 nobilium, et juvenum floscule nobilium,
 9 fortis Alexandri cui stat de nomine nomen,
 10 atque animus magno par duci inest Macetum.
 11 Perge modo, ut tibi coeptum iter est, et confice quod jam
 12 curris inoffensi calce pedis stadium.
 13 Certa manet te palma, laboris et ardua merces,
 14 quo sua divendunt Dii pretiosa bona.
 15 Auguror, augurioque fides non vana : deorum
 16 sit modo vita tibi munere, talis eris
 17 per quem nobilitas virtutis luceat, a quo
 18 fulgidus Aonidum nobilitetur honos.
 19 A quo nobilitas sit nobilium ipsa virorum
 20 sese ipsa atque ipso nomine nobilior.
 21 Immo unus triplici tu nobilitate decorus,
 22 unicus omnis eris nobilitatis apex.

IN ALBUM CORNELII MARTINI. XVIII

A5_18 v.1 Qui tibi pridem omnemque animum, mentemque animi omnem
 2 adstrictam fidei vinclo adamantino habes,
 3 cui me sacravi totum, quem pectore toto
 4 perpetuumque colo, et perpetuum veneror,
 5 nunc demum, Corneli, amor o meus unice, et idem
 6 omnium amor Superum atque idem hominum omnium amor.
 7 Idem hominum omnium amor, quorum est amor incluta virtus,
 8 quorum amor est Phoebus, quorum amor Aonides ;
 9 nunc demum sinceri animi, mentisque fidelis
 10 syngrapham, et artae testamen amicitiae
 11 me poscis, simituque jubes mea nomina amicum
 12 candidulo profiteri heicce tuum in numero.
 13 Poscis me, et vulgi poscis de more, jubesque ;
 14 cui ut libeat morem, aut quei liceat gerere ?
 15 Ut libeat ? Quando ipse tuo me corde recepsti,
 16 inclusum et fibris in penitis retines.
 17 Dum effigies mea sculpta tuis sedet usque medullis,
 18 tu sculpi infirmis me cupis in tabulis ?
 19 Non aequum est : ego quod teneo, non muto ; latebris
 20 tutius his lateo, quam tabulis pateo.
 21 Sed vellem tamen, ut velles, dum mi amplius instas :
 22 quei vero hoc liceat temporis articulo ?
 23 Ut te dignum aliquid tibi scribam, et quod meo amori,
 24 par sit, opus magno est ingenio et genio.
 25 Nunc neque mi ingenium, genius neque mi ullus adest nunc
 26 nec Clarii ulla dei aura intrat inertem animum.
 27 Longe absunt Musae illae, et abest longe illa, beato
 28 quae me olim fovit triga sinu Charitum.

29 Nescio quid tamen, ecce, repente mi amabile in aurem
 30 laetior ore tenello ipse susurrat Amor.
 31 Sanctus Amor, sanctique et praestes et auctor amoris,
 32 cui genitrix virtus, Mercurius genitor.
 33 Quo duce jam libet, et tanto licet auspice, munus
 34 solvere, quod tanto a me exigitur studio.
 35 Ergo mei oris uti simulacra perennia perstant
 36 affabre sub corde effigiata tuo ;
 37 sic etiam simulacra sui, manus aemula rite
 38 contra auro his caris exprimat in tabulis
 39 utque animus tibi devotus, tibi dedita mens est
 40 corque meum immortalis ut fidei igne flagrat.
 41 Sic quae dextra fidem sacro tibi foedere junxit,
 42 dextra eadem fidei det monumenta meae.
 43 Stetque inter reliquas, reliquis specienda ab amicis,
 44 quos tibi parque fides parque animus sociat.
 45 Par animusque fidesque, aut me unum animusque fidesque hoc
 46 major, quo ante alios me magis unicum amas.

AD JANUM VOLSCOVIVM. XIX

A5_19 v.1 Barbaram amare ecquis potesit, nisi barbarus ipse ?
 2 Barbaro et ipsa ipsi barbara virgo viro
 3 juncta, ecquae generet nisi barbara pignora, tota
 4 plena nova fiat barbarie unde domus ?
 5 Barbaram amas tu, Jane, tamen, nec barbarus audis,
 6 nec quoque vel mores barbarus aut animum es.
 7 At quia Barbaram amas, si hinc barbarus esque meresque
 8 dicier ; o quis non barbarus est juvenum
 9 omnigenum ? Quando nemo est tam barbarus, ut non
 10 Barbaram amet, lectoque optet habere suo.
 11 Sed tua dici etiam haud pote Barbara barbara, nec vel
 12 tantillum corde aut corpore barbari habet.
 13 Ipse vides. Quisque haud videt et simul invidet ? Ha, quid ?
 14 Barbara si tua sit barbara, barbara erit
 15 cuncta puellarum turba, atque etiam Venus ipsa ;
 16 ipsa Venus ; quae quod pulchrum et amoenum habui
 17 huic dedit omne, et qua potuit cura usque ita compsit
 18 unicam, ut usquam alibi haud sit reperire aliam,
 19 quae sit compta, haec ni sit vel comptissima, et inter
 20 virgineos divino oris honore greges
 21 sic sola eniteat, velut enitet ipsa Dione
 22 caelestes inter sola venusta Deas.
 23 Ergo quid e vobis statuam nisi bella venusta
 24 pignora, tam culto posse geni thalamo ?
 25 Quales candiduli Veneris pupi, ille Cupido,
 26 hic Amor, et reliquum examen herae Cypriae.
 27 Ofelix et Barbara, et o tu Barbarae amator !
 28 Felix o nata hinc post nova Barbaries !

AD MARTINUM BRASCHIVM. XX

A5_20 v.1 Quos tibi dem numeros, Braschi optime ? Quos queo, nolo ;
 2 quos cupio, nequeo. Quos tibi dem numeros ?

3 Haereo. Quod nequeo, cupio ; quod non volo, possum.
 4 Ergo quos nolim, quos cupiam numeros ?
 5 Haereo. Sed quos tu cupis, an queo ? Quos queo, non vis ?
 6 An quos vis, nolim ? Quos volo, non cupias ?
 7 Certe horum unum aliquod certum. Sed fare, quod horum
 8 certum, quod certum sit mihi sitque tibi.
 9 Quod volo ego, ipse cupis ; quod possum ego, debeo velle.
 10 Nonne ergo possim quos cupio numeros ?
 11 Quos possum, haud cupiam ? Nonne ergo quos ego possum,
 12 tu cupias ? Nolis, quos nequeo numeros ?
 13 En cape, quos possum dare, quos volo, quos dare me vis :
 14 testes sinceræ et pignora amicitiae.
 15 Doctos non possum, nec tu cupis ; heic ubi docti haud
 16 carmen, sed veri quaeris amici hominis.
 17 Huncque ego dono tibi tali cum carmine talem,
 18 quale cupis carmen, qualem hominemque cupis.
 19 Tu cape utrumque simul ; simul et mihi te ipse vicissim
 20 mancupio dede, ut dedo me ego ipse tibi.

IN ALBUM LAURENTII WOLFFII. XXI

A5_21 v.1 Exemplum parilis si quis quam quaerit amoris,
 2 ne jam ultra antiquis quaerat ab historiis.
 3 Non ad Dardanium Hyrtaciden eat Euryalumque,
 4 non ad Pirithoum, Theseaque Argolicum ;
 5 non ad Damonem aut alios, quos fama sacravit
 6 perpetuae nomen perpetuum fidei.
 7 Sint sua, sint priscis exempla : en nostra tibi aetas
 8 protulit omnigena clarius historia.
 9 Ecce ducos juvenes aequales corpore et annis,
 10 moribus aequales ecce duos juvenes.
 11 Ecce duos juvenes studiis atque artibus iisdem,
 12 vita eademque pares ecce duos juvenes.
 13 Ecce duos juvenes animo uno et pectore junctos,
 14 imo anima una unos ecce duos juvenes.
 15 Ecce. Sed ulterius quid dicam ? An nomina dicam ?
 16 Nomina verum ad quid dici utriusque juvet ?
 17 Qui scit Wolffiaden, scit Acidalium simul ipsum ;
 18 qui scit Acidalium, scit quoque Wolffiaden.
 19 Nam haud aliter pote cum sit Wolffius usque et ubique
 20 in suo Acidalio, in Wolffio Acidalio.
 21 Immo cum ipse Acidalio sit Wolffius ipse,
 22 Wolffius ipse et sit cum ipse Acidalio.
 23 Dehinc ergo exemplum parilis qui quaerit amoris,
 24 an jam ultra antiquis quaerat ab historiis ?

PAULLO MELIOSO. XXII

A5_22 v.1 Ut primum arrectas tetigit mihi nuntius aures
 2 de sponsa Aemilia, sponse Melisse, tua,
 3 illa simul mentem tetigit mihi vinea, de qua
 4 fertur Euangelica mentio in historia.
 5 In quam conducti seu primo lucis in ortu,
 6 seu medio, sero denique sive die ;

7 unam omnes tamen a domino retulere laboris
 8 mercedem : imparibus gratia parque fuit.
 9 Est eadem vitae ratio mihi visa jugalis,
 10 et quasi diversi formula conjugii.
 11 Seu quis enim huic primis dedat se protinus annis,
 12 maturae aetatis seu medio in stadio,
 13 seu declinantis spatio jam serius aevi,
 14 aequa manent cunctos praemia, quemque sua.
 15 Quos igitur propere vitae juvenilibus annis
 16 dat fructus aliis conjugialis amor ;
 17 hos tibi vel sero dat amor tuus, utque det, opto,
 18 illum orans, quo dat dante, dabitque, Deum.
 19 Hic faciat dicas, "mea sera et sola voluptas" :
 20 Benjamin inque novo sis vetus ille Jacob.
 21 Illud et experiare, e Graeco vate quod olim
 22 Romuleo vertit Musa Latina sono :
 23 "Sera et tarda nimis, sed fama et laude perenni".
 24 Tu vive Aemyliae, vivat et illa tibi.
 25 Haec tuus ex toto tibi corde Monavius optat,
 26 ille tibi veteri junctus amicitia.
 27 Ut rata sint eadem, clementi numine porro
 28 is faciat, de quo vere ita versus ait :
 29 "Munera propitiis manibus venientia divum
 30 compensant grata commoditate moram."

VALENTIS ACIDALI ODAE.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIVM MEVM, PARODIA AMOEBEA.

ACIDALIUS
 A6_01 v.1 Donec junctus ero tibi,
 2 nec quemquam potius mens tua foedere
 3 majori juvenem colet ;
 4 divorum videor sorte beatior.
 BUCRETIUS
 5 Donec non alium magis
 6 ardebis, neque erit vivere sic grave,
 7 juncti ceu modo vivimus ;
 8 ipso mi videor prosperior Jove.
 AC.
 9 Me pol certa fides ligat
 10 cunctos firma dies et stabilis manens ;
 11 pro te nunc renuam mori,
 12 ut parcant animae fata superstiti.
 BU.
 13 Me torret quoque mutuis
 14 sinceræ Veneris filius ignibus :

15 pro te bis cupiam mori
 16 ut parcant capiti fata superstiti.
 AC.
 17 O sic dia velit Fides !
 18 Coniunctosque iugo servet aeneo,
 19 ut nostra obstupeant fide,
 20 par fratrumque canant nobile posteri.
 BU.
 21 Jam jam cetera vilior
 22 turba est : tu potior solus, et arduo
 23 mi numquam minor agmine.
 24 Tecum vivere amo, tecum obeam lubens.

IN FUNUS J. ACOBI CURTI.

A6_02 v.1 Quicumque spectant, quique vel audiunt
 2 tam sortem acerbam, tam miserabilem,
 3 imas dolentes ad medullas
 4 in lacrumas pariter liquescunt.
 5 Et nunc miserti navicoli gregis
 6 lugent relictos in medio freto,
 7 tantisque damnatam periculis
 8 cum gemitu adspiciunt carinam.
 9 Nunc te peremptum respiciunt male,
 10 te, magne Curti, sic male perditum
 11 planctu sonore perstreptentes
 12 tristibus ingeminant querelis.
 13 Te, magne Curti, maximus arbiter
 14 Rudolphus orbis Romulei et caput
 15 quem puppis Augustae magistrum
 16 fecerat, imperiisque clavum
 17 a se secundo tradiderat loco,
 18 dextraeque fesus consilio et tuo
 19 tecum per undas aestuosi
 20 aequoris impavidus regebat
 21 navim receptis tot populis gravem,
 22 fetam virum vi praevalida : hei tuae
 23 vi mortis, infracta nimis vi
 24 et properi interitus dolore.
 25 Qualem magistrum velivolae ratis,
 26 quem nauticae artis gnava peritia,
 27 reatricis et prudentiae vis
 28 consiliis animosa cautis,
 29 ususque multi rite fide data
 30 industrie exercita dexterarum
 31 admovit ad clavi gubernal,
 32 et statuit sibi vasta puppis
 33 magni per undas Oceani Ducem ;
 34 illamque sese, illi sibi creditos
 35 credens suos enavigare
 36 cuncta pericla pericla spectat.
 37 Si caecus olim jam in medio aequore
 38 unde unde fatorum impetus irruens
 39 fixumque inhaerentemque clavo
 40 abripiat violente tractu :

41 et vorticosae merset adobrutum
42 Lethes profundo non satiabili ;
43 orbata non tantum carina,
44 nec modo cetera turba nudae
45 vectrix carinae, incerta viae, sui
46 incerta, certi certa periculi,
47 ipsumque ademptum, ah destitutam
48 seque simul, simul usque luget.
49 Sed luget in partem ipse etiam exterus,
50 cui scire tales cumque datur vices,
51 totusque in alternum dolorem
52 solvitur ex utriusque sorte.
53 Et nunc gubernatorem adeo inclutum
54 sic perditum cit flebilibus modis :
55 praeconio digno inque dignum
56 exitium lacrumans honestat.
57 Nunc navem et ipsam navis et incolas
58 suspiriosis fletibus ingemens
59 deplorat, importuna damna
60 pectore commiseratus imo.
61 Sic, Magne Curti, te tua non modo
62 privata te Germania nunc duce
63 quem vis sibi improvisa fati
64 praecipiti eripuit procella.
65 Hei, navigans non sidere prospero
66 Germania et Germanica quod ratis
67 Germanicorum alveo capace
68 cumque vehit populorum, in alto
69 jam destituti praetumidi maris,
70 deflent ademptum, te sibi, te sibi
71 deflent ademptum, te fluore
72 perpetuo lacrumarum inundant.
73 Te te, sed incerti mage tene, ten',
74 an se mage ipsos, se miseros mage
75 ipsos fleant, ipsos fluore
76 perpetuo lacrumarum inundent.
77 Utrosque deflent, te simul atque se,
78 Utrosque inundant, te simul atque se,
79 utrosque flent, utrosque inundant
80 te simul, ah miseri, simul se.
81 Sed praeter ipsos flent pariter quoque
82 illi, ratis quos non eadem vehit,
83 nec casus idem tangit iste,
84 angit idem tamen hoc periculum.
85 Franguntur omnes Caesare cum suo,
86 cui parcere uni fata nefaria,
87 damnis et humanis superstantem
88 altius haud tetigisse erat fas.
89 In Curtio ergo Caesare cum suo
90 mors laesit omnes. Quis querimoniis
91 finem jubebit, quis dolori,
92 praecipietque modum vel irae ?
93 Irae et dolori et sit querimoniis
94 finis tamen jam, sit modus. Uvida
95 siccemus a longo ora fletu,
96 atque animis redeat serenum.

97 Est unde vulnus tam coeat patens,
98 nec Dii medelam sollicitis negant.
99 Dudumque circumspectat acer,
100 acer et in medio dolore
101 Caesar salutem tum sibi tum suis
102 dextram, requirens Curtiadem novum,
103 jactura quo pensetur istaec
104 cunctaque damna resartiantur.
105 Nec longe abest, cum par veteri novus
106 quaesitus alta indagine pectoris,
107 monstrantibus Diis eruetur
108 auspicioque bono repertus
109 successor illa sede locabitur,
110 quam Parca desolaverat invida
111 nequicquam : et implebit prioris
112 munia pervigili labore,
113 et tam sagaci mentis acumine,
114 fidique cura perpete consili,
115 ne Curtius desideretur,
116 aut periisse putetur orbi.
117 Sic o sit ! Et jam sic erit. Haud tamen
118 obliviosi nube silentii
119 ille ille noster, noster ille
120 Curtius involuetur umquam.
121 Ingratus orbis non adeo usque erit,
122 ut Curtii non se memorem sui
123 praestet, nec erepti superstes
124 heic studeat retinere nomen.
125 Nomen superba nobile gloria
126 viventis, haud ignobile mortui
127 passurus ; invito vel ipsi
128 quod memori celebrandum honore.
129 Tam multa nam vestigia cum sui,
130 tam magna nam vestigia cum sui
131 impressit Heic, impressit illic
132 per spatium Imperii usque quaque
133 factisque dictisque omnimodis bene
134 semper merendo : ah illius illius
135 tandem modo quo, si velit quo,
136 dememinisse valebit umquam ?
137 Non si allaboret, Curtia nomina
138 delebit in se ; nec cupiat licet
139 quibit negare ; et si tacebit
140 ipsa tamen merita eloquentur.
141 Prodentque sese, si teget impius,
142 illumque clara voce redarguent,
143 et voce clara hinc inde cogent
144 perpetuas resonare laudes.
145 O Curtium ! o Sors quae nova Curtii !
146 Cui perpes Orbi, dum manet Orbis hic,
147 ipso orbe et invito, manebit
148 fama decusque perenne clarum.
149 Qualis per orbem, qualis erit mihi
150 diis invidendo nomine Curtius,
151 orbe et volente et sic amante,
152 tamque pio studio fovente ?

153 O vita, et o mors incluta Curtii !
 154 Vita sed o mors ter magis incluta !
 155 Quis vivere optet, sic, mori sic ?
 156 Vivite sic et erit mori sic.

AD V. CL. JUSTUM LIPSIUM.

A6_03 v.1 Quem tu, Lipsiade, semel
 2 scriptorum critico pollice finxeris,
 3 illum non stylus acrior
 4 compunget reprobum, non situs indecor
 5 blattis mittet edacibus
 6 praedandum, neque nox invida tristibus
 7 turpatum tenebris caput,
 8 cum mortis taetricas exierit manus,
 9 subducat Clario gregi ;
 10 sed quae culta novum pagina jam nitet,
 11 et doctae comites notae,
 12 reddent perpetuo tempore vividum.
 13 Phoebi principis artium
 14 dignamur soboles inter Hyantios
 15 primum ponere te choros,
 16 et jam dente minus roderis invido.
 17 O caliginis horridae
 18 priscas qui nebulas, Sol nove discutis ;
 19 o altis quoque noctibus
 20 immisura diei, si lubeat, jubar ;
 21 totum muneris hoc tui est,
 22 quod clarent oculo rite legentium
 23 Romanae sophiae libri :
 24 quod discam, et didici, quod didici, tuum est.

AD JO. MAT. WACKERUM PARODIA AD ODAM HORAT. X. EPOD.

A6_04 v.1 Bona juganda sponsa prodit alite,
 2 petens amantem Wackerum.
 3 Ne plumbeis imbelle verberes latus,
 4 Auster caveto, flatibus.
 5 Sudos madores Aquilo, deterso polo,
 6 atrasque nubes differat.
 7 Adspiret Eurus, qualis altis vallibus
 8 motat virentes flosculos.
 9 Et Phoebus aucta luce amicum arrideat,
 10 qua laetus Erigonen subit.
 11 Iniquiore nec fruatur aethere,
 12 quam Paphia Divarum manus :
 13 cum Cypris antrum fecit iter ad Ilium
 14 in abditum Anchisae torum.
 15 O quantus inflat Wackero sudor tuo,
 16 tibi que fervor flammeus,
 17 et illa virginalis ejulatio,
 18 preces et Idaliam ad Deam ;
 19 navifragus imo cum praeaeestuans sinus
 20 vado carinam solverit.

21 Amica quod si sata dulci pignore
 22 festina matrem fecerint ;
 23 perenni clara consecrabitur dies
 24 haec festa Diis jugalibus.

PARODIA EIS EYTHANACIAN.

A6_05 v.1 Quam tu, Mors, pia Mors, semel
 2 e vita placido fine vocaveris ;
 3 illum non timor amplius
 4 turbabit trepidum, ne Stygius Charon
 5 cymba ducat Avernica
 6 vectorem, neque gens infera sontibus
 7 damnatum maculis reum,
 8 quod vitae reprobas institerit vias,
 9 vexabit cruciatibus.
 10 Sed qua laeta sacer gramina fons rigat,
 11 caelestes genium manus
 12 ducent Elysio tramite sospitem.
 13 Jovae Principis omnium
 14 non spernet soboles inter amabiles
 15 caeli ponere me choro :
 16 et jam corde magis sublevor entheo.
 17 O menti bene consciae
 18 dulcem quae reditum Mors pia conficis ;
 19 o ipsis quoque perditis
 20 allatura obitum, his si libeat, pium !
 21 Totum muneris hoc tui est,
 22 si tollar gregibus depereuntium
 23 salvandi socius gregis ;
 24 si sancte moriar, cum moriar, tuum est.

IN OBITUM CHRISTIANI, JACOBI FILII, MONAVII. DEFUNCTUS IPSE LOQUITUR.

A6_06 v.1 Sol vitae, genitorque lucis, ipse
 2 lux mera, et mera vita, lucis a se
 3 et vitae dederat mihi nitorem ;
 4 et sparsum radiis suis, novam me
 5 gentis nomine Lunulam vetustae
 6 fecerat sibi, miseratque terris
 7 fulgere in decus aemulum parentum.
 8 Fulsi lumine splendido parumper
 9 in patris decus, in decusque matris,
 10 huic lux, vitaeque : vita luxque et illi,
 11 gratus omnibus, omnibus suavis,
 12 queis fulgor meus hic, nitorque visus.
 13 Sed me lumine non meo micantem
 14 Auctor luminis ut repente missum
 15 terris intulerat, repente rursus
 16 terris abstulit, inque puriorem
 17 lucem transtulit, et sibi propinquum
 18 plus haurire dedit sui nitoris
 19 ipso e fonte perennis ignis, et jam
 20 inter siderei faces Olympi

21 accendit radio sereniore.
 22 Heic jam splendo Lunula innovata
 23 constantis fidei novella Luna.
 24 Aeternum et liquida micabo flamma
 25 sidus sidere purius Dianae
 26 orbis clarior igneo orbe Phoebi.
 27 Exstinctum male ne putes abisse,
 28 tu tristis pater, atque maesta mater,
 29 nunc jam luceo, nuncque vivo demum
 30 ipsa in lucis origine atque vitae.
 31 Heic et vos diuturniora terris
 32 astra, perpetua astra deinde caelo
 33 exspecto, et maneo diem dierum,
 34 quo nos luminis auctor ille nostri
 35 sol noster, socias locum hunc sub unum
 36 conductis radiis, paresque luce
 37 concordi faciet nitere stellas,
 38 caelum ut pluribus impleat sibi astris,
 39 semet pluribus et coronet astris.

PRO SALUTE ATQUE INCOLUMITATE FRIDERICI, JACOBI FILI, MONAVI.

A6_07 v.1 Gentis incluta spes Monaviana,
 2 patris filiole incluti Monavi,
 3 o tenelle puer, tener puella,
 4 nunc jam nomine, reque dives olim
 5 pacis, o Friderice, et o honoris !
 6 Vive, vive puer, puer tenelle,
 7 cresce, cresce tener, tener puella,
 8 ut sis nomine reque dives olim
 9 pacis, o Friderice et o honoris !
 10 Vive, cresce decus Monaviorum,
 11 subnatus decori Monaviorum.
 12 Hoc optat pater, hocque mater optat,
 13 hoc sperat simul ille, et illa sperat :
 14 sed scit patruus, ac videt futurum
 15 jam fraterculus in polum recepti.
 16 Pleni numine jam propinquiore
 17 divis additi uterque, uterque divi,
 18 successore novo invicemque laeti
 19 gaudent gaudia mutua, et suis te
 20 gratantur sobolem hanc, sibique fratrem hunc
 21 alter, alter et hunc sibi nepotem ;
 22 in quo reddita sint recenter orbi,
 23 in se perdita quae fuere quondam.
 24 Felix augurium hoc, ratum sit omen !
 25 Omen, auguriumve si, vel est si
 26 oraclum potius. Sit, o sit ipsum
 27 quodcumque est, liquidum : sit usque quaque
 28 praesentis fidei atque veritatis.
 29 Nec tu falle tuos, puer tenelle,
 30 vanos argue nec, tener puella.
 31 Sed nec fallere tu velis parentes,
 32 et nec arguere hos queas beatos.
 33 Quin jam nunc properans gradus minutos

34 annorum indole praevenire gestis
 35 sublimi indole mentis ingenique,
 36 sublimi indole et oris atque morum ;
 37 de te plura etiam spei benignae
 38 sponso pollicitus benigniore.
 39 Vive sic bone, sic, puelle, cresce,
 40 cresce sic, puer optime, atque vive,
 41 suavis pusio, suavium parentum,
 42 corculum patris, ipsa vita matris,
 43 patris filirole incluti Monavi,
 44 matris filirole inclutae Holzpecherae,
 45 gentis incluta spes Monavianae
 46 sic sis nomine reque dives usque
 47 pacis, o Friderice, et o honoris.

IN EPIGRAPHEN MUSAEI MONAVIANI.

A6_08 v.1 Vitae summa brevis beatioris
 2 ex sortis sapientiaequae lege
 3 Musaei est titulus Monaviani,
 4 Musaei hic titulus Monaviani,
 5 secum vivere, longe abesse turba,
 6 gaudere innocua quiete, rerum
 7 abstinere alieniore cura,
 8 suis otio suum occupare,
 9 fortunam bene ferre utramque ubique ;
 10 si quidquam est agere aut pati necesse,
 11 non spectare homines, Deum intueri,
 12 hinc causam trahere, hinc opemque causae ;
 13 mortem perpete sic diu atque noctu
 14 secum volvere cogitatione,
 15 peccatum magis ut magisque semper,
 16 ipsa sed minus, ut minusque semper
 17 vitetur, metuatur, horreatur ;
 18 mundum et qualia quantacumque mundi
 19 magno pectore non habere magna ;
 20 vita ista fragili ac laboriosa
 21 vitam perpetuam ac voluptuosam
 22 affectare magis ; bonis caducis
 23 aeternum unum avido anteferre voto ;
 24 cura corporis et brevis salutis
 25 longe postposita, imminere soli
 26 immortalis animae beatitati ;
 27 sic se denique comparare totum,
 28 ut mens laeta prius libensque terre(t)
 29 quam vel libera vinculo evocetur,
 30 in caelum cupiat suum evolare.
 31 Musaei hic titulus Monaviani est,
 32 Musaei titulus Monaviani
 33 ex sortis sapientiaequae lege
 34 vitae summa brevis beatioris.

PARODIA AD PHASELLUM CATULLIANUM.

A6_09 v.1 Rosa haec, rubere quam videtis hospites,
 2 ait prius fuisse candidissima,
 3 neque ullius decus suave lilii
 4 nequisse praeterire ; seu coloribus
 5 opus foret valere, sive odoribus.
 6 Et hoc negant, perenniculata Chloridos
 7 negare saepta, triplicisque Gratiae
 8 roseta, Paesti amabiles et hortulos,
 9 Paphonque et Idali inclutum jugi nemus :
 10 ubi illa denique id coloris exuit
 11 decus prioris, et rubente purpura
 12 eburneas pudenter induit comas.
 13 Venusque Cypria, o, nemusque Cyprium,
 14 tibi hoc fuisse et esse cognitissimum,
 15 ait Rosa ista, primulosque flosculos
 16 tuis stetit dicit ante vallibus,
 17 tui imbuisse se fluore sanguinis ;
 18 et inde mox supra albicantium gregem
 19 caput tulisse fulgidum : corallinae
 20 ut igneo micant rubore baculae ;
 21 simul tibi aspra spina fixerat pedem.
 22 Neque ulla vota Florealibus Diis
 23 sibi esse facta, cum his abiret a rubis
 24 profecta in orbis omnis extimas plagas.
 25 Sed haec fuere nunc honore perpetim
 26 vegetque proprio, vigetque honos tibi,
 27 nemusque Cyprium, o, Venusque Cypria.

XENIA AD LAURENTIUM WOLFIIUM.

A6_10 v.1 Si boni quidquam attulissent Januariae Calendae,
 2 care Laurenti, mihi me carior sodalis ipso,
 3 illius partem tibi de more donarem recepto
 4 saeculi nostri, et fausto sub anni exordio recentis
 5 xenia haud ingrata jam nunc corde mitterem lubenti ;
 6 sed boni nil attulerunt Januariae Calendae,
 7 nil boni. Quidnam ergo dem nunc aut tibi donare possim,
 8 care Laurenti, mihi me carior sodalis ipso ?
 9 Nil queo. Quidnam ergo flagitas vel flagitare possis
 10 a Valentino, tibi ipso te sodali cariore ?
 11 Nil potes. Nil ergo do, nil ergo tu me flagitabis.
 12 Attamen ne dem nihil, ne Januarias Calendas
 13 debito fraudare honore, consuetudinemque nostri
 14 turpiter migrare credar aevi : do tibi ecce versus
 15 pauculos, duros, famelicos atque claudicantes,
 16 aridos, mancosque, semitariosque et invenustos,
 17 ruris atri plenos atque plenos inficetiarum,
 18 in quibus munusculis vestigium haud apparet ullum.
 19 Tu, cape hos. Donumque, si quid esse Musas atque Phoebum
 20 judicas, non vile judica ; et si quid requiris ultra
 21 praeter hos versus misellos, hoc chartaceumque donum ;
 22 tot salutes accipe, ordiens quot annum luce prima
 23 sol coruscus verberat nivalis agri litorumque,

24 litorumque montiumque arenas, quot magnum sub aequor
 25 primula adventu suo stellas abire cogit Eos.
 26 Tot salutes accipe, et plures, ut aeternos superstes
 27 in dies, quotquot poli volvuntur a gyris citatis,
 28 et revolvuntur vago caeli reciprocantis orbe,
 29 sanus ac felix mihi Divum benignitate vivas.
 30 O vale et salve ; vale usque perpete et salute salve
 31 a Valentino, tibi ipso te sodali cariore,
 32 care Laurenti, mihi me carior sodalis ipso.

VALENTIS ACIDALI EPIGRAMMATA.

AD SOLEM DE URBE VRATISLAVIA.

A7_01 v.1 Phoebe pater, mundi alme oculo, extima lativii orbis
 2 qui lustras curru moenia lucifero,
 3 Phoebe usquamne aliquid Breslaea pulchrius urbe
 4 a roseone aliquid clarius axe vides ?
 5 Dic Pater. At quidnam hoc ? Quid quaerenti aurea vultus
 6 lumina mi obscura nube repente tegis ?
 7 Hem video ! Tene o etiam clarissime lucis
 8 arbiter, invidiae noxia vis tetigit ?
 9 Hoc est, Phoebe : tuae lucis lux aemula pridem
 10 te urit, et hos urbis ferre nequis radios ;
 11 illa tibi rutilo certans jubare, alto apice urgens
 12 astra, decus jubaris verberat acre tui.
 13 Sed tantumne habet invidiae, ut vel nomen ad ipsum
 14 liventi obducas pallidulum os nebula ?
 15 Quin o auricomi genitor venerande diei,
 16 linque Indis priscae dissita claustra viae ;
 17 et jam huc flecte rotas : heic deinceps incipe oriri,
 18 aut venit hinc nobis te sine clara dies.

AD JACOBUM MONAVIUM.

A7_02 v.1 Jam chelyn ad numeros aptabam et plectra, Monavi,
 2 in scitum canerem queis epigramma tuum.
 3 Et simul, ore ciens Phoebum : "O nuc, Phoebe, mihi, inquam,
 4 dignum exprome sacris si quid habes adytis."
 5 Ille negat superesse aliquid : "Sic undique vates
 6 cuncti absumpse tuum in Scitum Heliconis opes."
 7 Sollicito Musas. At Musae saepe vocatae
 8 teque tuumque aiunt linqere nolle animum.
 9 Castalios fontes adeo : en, heic fontibus ipsis
 10 magna sitis ; gutta et nulla liquoris adest.

11 Tum levis aura aures mihi personat : "Ito, Monavi,
 12 quaere domum, Aonias qui petis, hospes, aquas."
 13 Pro Phoebos ergo igitur Musisque ipsaque Aganippe,
 14 tu in Scitum mihi te suggere digna tuum.
 15 Nam te dignum aliquid jam ubi quaeram, unum nisi apud te,
 16 te digna omnia qui te penes unus habes ?

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIVM MEVM.

A7_03 v.1 Non Germanum ita germano Germanus amore
 2 diligit, ut fratrem tete ego frater amo.
 3 Frater ego te fratrem, inquam ; nam nomen amici
 4 non in fraterno hoc mi sat amore facit.
 5 Nec me tu colis ipse alio, nisi fratris amore,
 6 et tibi amici etiam nomine amare, leve est.
 7 Quin si fraterno est amor ullus major amore,
 8 hoc tibi ego sum, hoc tu carus amore mihi es.
 9 Sed non fraterno est amor ullus major amore,
 10 ut sis tu mihi, sim carior ipse tibi.
 11 Imo etiam fraterno amor hic est major amore,
 12 quo mihi tu es carus, sum tibi carus ego.
 13 Dii date, fraterno sit nomen majus amore,
 14 aut nullum hic noster nomen habebit amor.

AD JOANNEM CASELIUM.

A7_04 v.1 "De Patria magni quondam certamen Homeri
 2 certatum Graiis urbibus acre fuit."
 3 Haec ait, ille meus : "Meus est, contra altera clamat,
 4 quaeque alia et, dubia lite, reclamant idem.
 5 De te etiam Musis ingens lis orta, Caseli ;
 6 Varniadesque suum Juliadesque suum
 7 esse volunt : neque te his illae concedere, alumnum
 8 illis et contra te hae rapuisse student.
 9 Par fatum ! Sed dissimile unum hoc : vivus Homerus
 10 nulli paene urbi notus inante fuit ;
 11 at quis serus honos post fata secutus Homerum est,
 12 viventi jam nunc obtigit ille tibi.
 13 Quanto igitur majus, clarum et carum esse ita vivum,
 14 Maeonida tanto tu mihi major eris.

AD EUNDEM.

A7_05 v.1 Maeoniden olim civem adscripsere tot urbes
 2 quaeque sibi, atque hodie lis etiam haec dubia est.
 3 Te quoque Juliades magno certamine Musae
 4 esse suum pugnant Varniadesque suum.
 5 Fatum equidem geminum, sed quanto his major habendus,
 6 qui diis, quam populis qui movet invidiam.

AD JORDANUM BRUNUM NOLANUM ITALUM.

A7_06 v.1 Qui talis tantusque cluis, simul omnium ut in te
 2 omnia sint unum dona profusa Deum.
 3 Qui tibi naturae thesauro e divite cuncta
 4 quae constant aliis singula, solus habes.
 5 O caeli augustum et cunctis mirabile monstrum,
 6 quo Natura suo victa opere ipsa stupet,
 7 flos o Ausoniae, Nolaeque tuae auree Titan,
 8 o utriusque decus delictumque poli.
 9 Ecquid ego nostro te carmine dicere tentem,
 10 carmine quem digne dicere nemo potest ?
 11 Non ego. Tu superas Phoebi ipsius osque chelynque,
 12 nec de te Musis hiscere posse datum est.
 13 Quid mi igitur de te sit dicere, fors nisi dicam
 14 unum illud, de te dicere posse nihil ?
 15 Quod faciam. At tibi sit satis hoc, vir maxime, laudis
 16 laudari nullo carmine posse satis.

IN TUMULUM PETRI MONAVI VRATISL. S. C. M. MEDICI.

A7_07 v.1 Vis multa paucis discere, hospes ? Hoc audi
 2 Petrus Monavus clausus hac jacet tumba.
 3 Petrus Monavus : sed sat hoc, sat audisti.
 4 In nomine ipso cuncta jam recognoscis,
 5 jam pridem in illo quae fuisse cognosti.
 6 Nam fama nulli muta, tuque non surdus.
 7 Venerare tumbam : dic bene, hospes, et gaude
 8 rescisse et hoc heic, forte quod minus scibas.
 9 Vix plura didicit paucioribus quisquam,
 10 vix plura quis quam paucioribus discet.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIVM MEVM.

A7_08 v.1 En tibi versiculos, Daniel suavissime, nostros,
 2 o majorque meae pars meliorque animae.
 3 En tibi : quos animi vero candore petebas,
 4 vero animi candore accipere haud renue.
 5 Quod me poscebas, modo habes ; ego nunc, quod eram haud sum ;
 6 nec tamen umquam alius, quam sum et eram antea, ero.
 7 Quid loquimur ? Verum. Fui in aere tuo hactenus ; id non
 8 sum amplius, et nunc sum, qui fui et antea eram.
 9 Perpetuumque ero amicus in aevum candidus omne,
 10 tuque idem nunc es, qui antea eras, et eris.
 11 Heus tamen ! An vere, quod eram, nunc amplius haud sum ?
 12 Si dubitas, certo sic statues animo.
 13 Qui dat, quod potuit, quod debuit, omne dedisse
 14 creditur, atque ego plus debeo, quam potui ?

IN BIBLIOTHECAM MATTEAEI WOLFI.

A7_09 v.1 Itala quos tellus, quos mittit Iberia libros,
 2 quos dat Belgiaci nobilis ora soli,

3 Gallia quos edit, vel quos Germania, vel quos
 4 ultima vix noto terra sub axe parit,
 5 tempora vel quotquot nobis antiqua tulerunt,
 6 tempora vel quot quot nunc quoque nostra ferunt,
 7 heic licet uno omnes oculo perstringere, et uno
 8 congestos toto ex orbe videre loco.
 9 Plena vides denso stipatis ordine libris
 10 omnia, et ad numerum non revocare potes.
 11 At quos nec numerus certa sub lege coercet,
 12 tectaque vix spatio liberiore tenent :
 13 unicus ingenio et canis venerabilis annis
 14 Wolffius, hos memori mente animoque tenet.

AD JOANNEM BOKELIUM.

A7_10 v.1 Clare Machaonii Antistes gregis, ipsa patronum
 2 aris quem statuit diva Hygiaea suis.
 3 Ut te divini pandentem oracla Galeni,
 4 Phoebigenum sancta conspicuum in cathedra,
 5 ut te audire mihi volup est ! Tua ut enthea verba
 6 me juvat attonitis imbibere auriculis !
 7 Saepe ego sic mecum, dum inhio tua dicta, Bokeli :
 8 dii, novus hic nobis unde Galenus adest ?
 9 Quam nihil huic illo, nihil hoc magis est simile illi !
 10 Si fas, esse unum prorsus utrumque putem.
 11 At quando id fieri nequit, aut priscum esse Galenum
 12 in te hodie, in prisco aut te olim habitasse puto.
 13 Sed quoniam id quoque vix credi pote, tu tamen aevi
 14 Pergameus nostri jure vocare senex.
 15 Nam quisnam est, qui te neget hoc jam ipsi esse Galeno,
 16 Hippocrati quod quondam ipse Galenus erat ?

AD PHOEBUM DE ARNOLDO FREITAGIO.

A7_11 v.1 Da paulum mihi, Phoebae, tuam chelyn et tua plectra,
 2 Freitagio digne ut carmina pauca canam.
 3 Da pater, aut tua quando manum chelys haud decet istam,
 4 nec tua plectra istis conveniunt digitis.
 5 Sume tibi paulum ipse tuam chelyn et tua plectra,
 6 Freitagio ut pro me carmina digna canas.
 7 Sume Pater ; nam cui medicas largitus es artes
 8 ipse, illum digne tu nisi nemo canat.
 9 Quemque chely ipse tuis docuisti et ludere plectris,
 10 non alia hunc digne plectra chelysve canant.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM, ROSTOCHIO ABEUNTEM.

A7_12 v.1 Haeret mens animi, Bucreti : tene abeuntem
 2 hinc potius mittam, seu potius teneam ?
 3 Ut teneam mihi amor tam fidi suadet amici,
 4 quo nihil huic quidquam carius est animo.
 5 Ut mittam, contra in patriam tuus admonet ardor,
 6 qua nil quidquam isti carius est animo.
 7 Sed mittam potius. Nam te heic pia cura teneri

8 longius optatae non patitur patriae.
 9 Sed mittam, teque hoc devoto in pectore clausum
 10 nunc licet hinc mittam, perpetuo teneam.

AD EUNDEM, CUM JAM ABIISSET.

A7_13 v.1 Si desiderio lacrumae solamina praestant,
 2 ipse mihi do solamina et accipio.
 3 At desiderium in lacrumas si solvitur ultro,
 4 solvunturque in desiderium lacrumae.
 5 Quei desiderio lacrumae solamina praestent ?
 6 Unde mihi dem solamina et accipiam ?
 7 Nempe alternatim alterutrum alterutri, utraque utrimque
 8 ipsa dabunt sibi solamina et accipient.

IN SCITUM DANIELIS RIND FLEISCH BUCRETI MEI : FERENDO VINCO.

A7_14 v.1 Ferre equidem miserum, Bucreti : at vincere, contra
 2 Felix, et quo nil clarius est, opus est.
 3 Tu simul et vincis, simul et fers : scilicet ergo
 4 et pariter felix, et pariter miser es.
 5 Quei vero id possit, mente haud queo prendere, ni fors
 6 nec felix, te ipso iudice, nec miser es.

IN IDEM.

A7_15 v.1 Vincendo fers cuncta, et vincis cuncta ferendo,
 2 Bucreti, passim et notus es his titulis.
 3 Mira nimis tua sors ; neque me hinc extrico, simul quei
 4 aut miser et felix, aut nec utrumque sies.
 5 Longius id tamen ut meditor, tandem redeo illuc ;
 6 aut neque mi ut felix, nec videare miser.
 7 Aut misere ut felix, feliciter aut miser ut sis :
 8 e numero quorum o verius ecquod erit ?
 9 Nil video. At nihil ut ne dicam, hoc denique dicam,
 10 et nullum esse horum atque omnia vera simul.

IN IDEM.

A7_16 v.1 Hactenus id dubium : miser an, felixne putandus
 2 e scito, loquitur quod tua fata, sies.
 3 Nunc mihi, Bucreti, claro se in lumine verum
 4 pandit, et obscurae diffugiunt tenebrae.
 5 Fers equidem, et miserum ferre est, sed eopse ferendo
 6 vincis, et inde alto victor honore clues.
 7 Ut sis ergo miser, cum hoc tam sis nomine felix,
 8 quo mage fers, vincas ut magis atque magis,
 9 quis miserum ausit te, Bucreti, credere ? Dehinc te
 10 felicem potius dicere quis dubitet ?

'EUXE' PRO NOVI ANNI FELICIBUS AUSPICIIIS.

A7_17 v.1 Orta dies caelo est : nostrae orta salutis origo
 2 qua fuit, et vitae spes rediviva novae.
 3 Orta dies caelo est : generis qua gaudia nostri
 4 sunt nova, et est iterum pristinus ortus honor.
 5 Orta dies caelo est : veteris qua clauditur anni
 6 cursus, et auspiciu[m] surgit in orbe novi.
 7 Sit precor orta dies : quae noctem e mentibus altam
 8 tollat, et a vitiis pectora pura ferat.
 9 Sit precor orta dies : quae vel sine nube malorum
 10 prima haec felices inchoet orta dies ;
 11 vel quae perpetuas aeterno tempore luces,
 12 primaque caelestes inchoet orta dies.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIIUM MEUM.

A7_18 v.1 Bucreti, quoties paulo acrius intueor te ;
 2 ah moriar, mea mens, te nisi demoriar !
 3 Protenus exclamo. At subito et tu subjicis istud :
 4 "Ah peream, mea lux, te nisi depeream !"
 5 Bucreti, num istis quid amicus uspiam amicis,
 6 mors quibus alterius vita fit alterius ?

AD LAURENTIUM WOLFIUM.

A7_19 v.1 Nec tu, o mi Wolffi, hinc prorsum indonatus abibis ;
 2 pars tibi de nostris danda etiam una rosis.
 3 Sume has reliquias, quae pridem in vepre relictas,
 4 lectas hunc exiguum sunt mihi jam in calathum.
 5 Queis ut odonon sit roseus ; roseo potio[m]rem
 6 aura potis nostri infundere amoris erit.
 7 Post si forte Rosas meus hortus habebit, habebis
 8 messem ipsam cum ipsis postmodo reliquiis.

IN SPINOSOS.

A7_20 v.1 Rosas qui dare me putavi amico,
 2 quam dicent aliqui dedisse spinas !
 3 Spinis horridulas rosarum inanes,
 4 in queis nec color aut odor rosarum,
 5 nec vestigiola ulla sint rosarum !
 6 Dicent, et merito illa posse dici,
 7 fors illis et acerbiora credam.
 8 At quam non fieri vel esse spinas,
 9 ipsos, mi cupiam maligniores,
 10 spinis hisce meis acutiores,
 11 rosis hisce meis iniquiores !
 12 Dicant me potius, minus maligni,
 13 spinam, sed tamen haud aculeatam,
 14 morsibus tamen haud feris iniquam :
 15 verum quae tulerit Rosas modo istas,
 16 qualescumque quidem hoc Rosas in anno,

17 quae deinceps aliis Rosas in annis
 18 plures his ferat atque amoeniores :
 19 quas donare queam meis amicis,
 20 spinas quas nequeant vocare spinae.

AD CONRADUM MEMMIUM.

A7_21 v.1 Has tibi dono Rosas, Memmi, si quid pote quisquam
 2 bis dare. Sed tamen en has tibi dono Rosas.
 3 Illae alii ante datae, sed cum illo alio utier illis
 4 tu ex aequo ipse etiam, tecum aliique queunt.
 5 Qui re unaque eademque simul dat posse fruisi
 6 pluribus, an non iis dat simul ille semel ?

AD MARTINUM BRASCHIUM.

A7_22 v.1 Has quoque reliquias dono tibi relliquiarum,
 2 si dignae hae doni nomine relliquiae.
 3 Sed sive indignae, seu dignae ; tu cape, dignus
 4 messe ipsa, haud sordent si tibi relliquiae.
 5 Quae tamen haud poterunt tibi non sordere, odor omnis
 6 quando has relliquit jam modo relliquias.
 7 Relliquit tamen hos odor ? An, quando ipsa rosarum
 8 messis nullam habuit vel minimae auram animae ;
 9 relliquiis etiam his odor haud umquam infuit ullus,
 10 quod numquam fuit ut perdere non fuerit ?

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM.

A7_23 v.1 Me quod amas, amo te, Bucreti ; at quaeso quid in me,
 2 sic ut amare velis, sic ut amare queas ?
 3 Ipse ubi me video, nihil est : melius neque nosse
 4 tu pote Acidalium es, quam ipsus Acidalius.
 5 Nec meritum scio me quidquam, nec posse mereri,
 6 ullam uti sim partem dignus amore tuo.
 7 Sed tibi fatale hoc, ut ameris ab omnibus ultro,
 8 ipseque ut ultro omnes mutuam amatus ames.
 9 Digni sint, minus an digni, curae nihil : unus,
 10 quotquot amas, dignos reddit amoris amor.
 11 Hoc quoque idem, Bucreti, in me usque valebit : amoris
 12 et pretium solus stabit amoris amor.
 13 Certe, si tibi, jure nisi a te dignus amari,
 14 nullus amicus erit, rarus amicus erit.

AD EUNDEM.

A7_24 v.1 Miratur populus, Bucreti, nos ita junctim
 2 perpetuo, et tam arta vivere amicitia ;
 3 numquam ut ab alterius latere alter, quidquid agendum
 4 alterutri, unguem adeo vel minimum usquam abeat.
 5 Sed mirumne tibi id populum mirarier ? Haud mi
 6 Hercle : nec est, mirum cur queat esse tibi.

7 Hoc potius mirer, si non miretur amorem
 8 mirificum hunc, miror quem ipse etiam, populus.
 9 Mentior. Et certe id quoque miror, vivere nostrum
 10 mirari usque adeo qui pote sit populus ;
 11 cum populus te ille omnis amet, neque nemo sit, optet
 12 quin ita tecum arta vivere amicitia.
 13 Fallor, an id modo mirantur, tam me esse beatum,
 14 cui quod avent omnes, unico habere datum est ?

AD CORNELIUM MARTINUM.

A7_25 v.1 Dum tu Sarmatica lentus regione moraris,
 2 quo, me deserto, heu, sors tua te abripuit !
 3 Me mea sors alias etiam traduxit in oras,
 4 Corneli, o cordis cura dolorque mei.
 5 Invida sicne igitur Dea nos dis spernere quivit,
 6 tam procul a vita ut vivat uterque sua ?
 7 Ah ! ego triste mei desiderium Corneli
 8 ferre queam ? Ah ! possim has ferre ego dividias ?
 9 Tene ego, mi Corneli, umquam dehinc cernere, tune
 10 dehinc poteris vultum cernere Acidalii ?
 11 O superet spes illa, feram quod ferre necesse est :
 12 spes ea sit, potero ferre, quod haud potero.
 13 Tu quoque fer : prae oculisque tibi simulacra mea usque,
 14 seu (quod Dii nolint), seu revidebis, habe.
 15 Ipsa tuam effigiem eque oculis animoque fideli,
 16 hoc erit, aut illud ; numquam abiisse sinam.

IN ALBUM CONRADI MEMMI.

A7_26 v.1 Animitus ego te amo, animitus et amor ego tibi ;
 2 tibi sum animula ego tua, mea tu es animula mihi.
 3 Tuum animum habeo mihi, veluti tibi meum animum habes,
 4 quid, animule mi, igitur inanima tibi mea manus
 5 avide ita petitur ? Eane librum in inanimum hunc
 6 dare pote melius erit aliud ? An anime aliquid
 7 alibi potius habeo ? Quo ego neque video, neque
 8 scio, neque dare tibi queo melius. At age, age jam,
 9 cape tibi modo, quod habeo reliquum, sat uti habeas :
 10 capiam item ego mihi tua. Tua mea, mea tua dehinc ;
 11 neque tuus eris, ego neque meus ero. Meus eris
 12 tu, ero tuus ego. Satis ita tibi fit ? An et aliud
 13 Cupis ? Ego tu ero, tu eris ego. Jam age, quid ubi superest ?

IN TUMULUM GEORGII FABRICII NORLINGENSIS.

A7_27 v.1 Quem schola tot tenuit, schola non schola, sed labor, annos,
 2 nomine decepit perpetuumque suo ;
 3 hunc bene calcato tandem de pulvere raptum
 4 transtulit in veram Mors quieta scholam.
 5 Otiaque a longo tribuit jam certa labore,
 6 laeta per aeternos semper agenda dies.
 7 Omnibus a curis securus ut usque quiescat,

8 inque ipso celebret Sabbata festa Deo.
 9 Quod tumulo heic inscribo tuo, extremumque brevi nunc
 10 manibus officium carmine solvo tuis.
 11 Tu salve aeternum atque vale ; et solemnia grato
 12 haec a discipulo dona magister habe.

IN EUNDEM.

A7_28 v.1 Quicumque es, hospes, scire te mecum hoc juvet :
 2 hac, quam premis, terra ille premitur mortuus,
 3 qui vivus aetatis bene actae tempore
 4 transgressus ultra jubilaei saeculum est.
 5 Hac, quam premis, terra ille premitur mortuus,
 6 qui deinde vitae conjugalis tempore
 7 transgressus ultra jubilaei saeculum est.
 8 Hac, quam premis, terra ille premitur mortuus,
 9 qui denique officii docendi tempore
 10 transgressus ultra jubilaei saeculum est.
 11 Quicumque es, hospes, scire quem mecum hoc juvat
 12 mecum precari te quoque hoc pariter juvet ;
 13 ut qui modis tot jubilaei saeculum
 14 exegit inter falsa mundi gaudia,
 15 heic peragat inter vera caeli gaudia,
 16 unum perennis jubilaei saeculum.

AD DAVIDEM HERLICIIUM.

A7_29 v.1 Auditor tibi rarus esse fertur,
 2 Herlici ; neque id esse item tibi aegre,
 3 sit minorum uti gentium magistris.
 4 Mirer ? Nullus ego. Quid ? An quoque illi
 5 (scis dictum sapientis acre et altum)
 6 pauci non sat erant suum librorum
 7 lectores, satis unus, immo nullus ?
 8 Macte istoc animo ! Et perinde ut ille
 9 solus, lector erat frequens sibi ipse :
 10 auditorium eris frequens tibi ipse.

LUSUS IN LAURENTIUM WOLFFIUM.

A7_30A v.1 Ite versiculi mei, videte
 2 Wolffius quid agat : memorne nostri
 3 vivat et valeat, videte ; tum dein
 4 videndus mihi quando sit, rogate.
 5 Ite versiculi mei, et redite
 6 actutum, neque vos mora ulla tardet.
 7 Sed, statin' male nati adhuc ? Quid hoc est ?
 8 An non ibitis, impigri videre
 9 Wolffium ? Mihi quem videre non est,
 10 quemque nescio quando erit videre ;
 11 quem vobis, nimium hercle sic beatis,
 12 non tantum dabitur videre, sed quem
 13 compellabitis ipsi et audietis,

14 felices magis o magisque me ipso.
 15 Et statin' male nati adhuc, fruique
 16 tanta rennuitis beatitate ?
 17 Quin ite. At video modo o miselli
 18 mei versiculi haesitationem.
 19 Tanto tempore Wolffium meum non
 20 vidistis, neque Wolffius meus vos,
 21 amplius modo Wolffium ut meum non
 22 noscatis, neque Wolffius meus vos.

A7_30B v.1 Wolffii, quid causae esse rear, quod nunc ita raro
 2 tam tibi amatum illum visis Acidalium ?
 3 Toto mense semel vix das te posse videri,
 4 totque potes sine me transigere usque dies.
 5 Quid rear. Haud mutata fides, haud candor, et illae
 6 devoti nobis simplicitas animi.
 7 Dii procul hoc. Cur te adspectu tamen, optime, nostro
 8 subtrahis ? Et reliqui turba sodalicii
 9 ore tuo semper fruitur, quam me male spreto
 10 assiduo sectare inque diem inque diem.
 11 Quam voveo, potius me sic secteris, ut illos
 12 quaque fide interea me colis hosce colas.

A7_30C v.1 Rarum semper ego te, amice Wolffii,
 2 putavi, et merito putavi amicum,
 3 cui parem reperire non sit usquam,
 4 cui parem tulerint nec ulla saecla,
 5 sint latura parem nec ulla saecla.
 6 Putavi merito te amice talem.
 7 Nunc magis merito puto et putabo ;
 8 raris omnibus esse rariorem
 9 te, rarissime amicule, unicum unum.
 10 Omni cum liceat tibi esse mecum
 11 die, cum liceat vel omni in hora,
 12 momentis vel in omnibus venire,
 13 assidere mihi usque, colloquique ;
 14 toto mense mihi semel videris.

A7_30D v.1 Idem es, qui pridem fueras, Wolffii, et tamen idem
 2 ut sis, certe etiam mi esse videre alius.
 3 Qui pote ? Non equidem id capio, video tamen, aut mi
 4 sic saltem videor te esse videre alium.
 5 Et videor saltem. Sed tu nihilominus idem es
 6 qui modo, quam fueras, jam esse videre alius.
 7 Quei vero id fiat, Wolffii, haud video hercule, cum nunc
 8 tam raro videare, idem aliusve, mihi.
 9 Idem es, non alius, quam qui Wolffii ante fuisti :
 10 sed nec eundem unquam, nec video te alium.

A7_30E v.1 Vicinus meus es, manumque Wolffii
 2 de nostris pote tangier fenestris.
 3 Quis non invideat mihi, putetque

4 horis omnibus esse me beatum,
 5 juncto cui liceat frui sodale ?
 6 Tam longe es mihi, quam meus tuusque
 7 hinc Cornelius est mihi tibi que,
 8 qui nunc lentus agit procul remota
 9 crudorum in regione Sarmatarum.
 10 Non convivere, nec videre saltem,
 11 non audire licet : nec urbe tota
 12 quisquam est tam prope, tam proculque nobis.
 13 Migrandum est mihi longius vel a te,
 14 migrandum tibi longius vel a me.
 15 Vicinus tibi sit vel inquilinus,
 16 Wolffi, qui te adeo videre non vult.

A7_30F v.1 De Wolffi dubitare animo scelus ; ipsius in me
 2 desinet, ipsus ubi desinet esse, fides.
 3 Ille tamen fidus, dum se negat usque videri,
 4 fructu me fidae privat amicitiae.
 5 Quo mihi tanta fides, si te careo interea ipso ?
 6 Sat fidei pridem est, non sat, amice, tui.

A7_30G v.1 Me sine tot lucas potes exigere, optime Wolffi,
 2 nulla sit adspectus ut tibi cura mei ?
 3 Dure nimis, Wolffi verum hoc ? Tot lucibus ergo
 4 nulla sit adspectus et mihi cura tui ?
 5 Non ego tam durus ; qui te sine lucem adeo unam
 6 vivere, non horam sum pote vel minimam.
 7 Ergo agedum ne dulce tuum os mihi subtrahe, Wolffi ;
 8 mitte tuos oculis hisce negare oculos.
 9 Si te nulla mei juvat oris gratia ; saltem
 10 me juvet usque oris gratia grata tui.

IN ALBUM CHRISTIANI DORNMANNI. AD AMOREM.

A7_31 v.1 Ecce Cupido, Cupido sacri sacer auctor amoris,
 2 pectora qui unanimis bina jugas animis.
 3 Ecce Cupido, hunc Dornmannus tibi donat Olorem,
 4 huncque tibi en alium donat Acidalius.
 5 Qui te juncti ambo perque aethera, perque solum omne,
 6 qua lubet ire, agili remigio usque vehant.
 7 Accipe : daque vicissim, ut qualem utriusque avis ala
 8 candorem niveo fulgere honore vides ;
 9 talis nostrum utriusque in fido pectore semper
 10 eniteat, seu res prospera, seu crepera.
 11 Utque ii dehinc parili accipient juga jugia collo,
 12 fors parili que ibunt Elysia arva pede ;
 13 hisce ita corporibus sedeat mens una duorum
 14 perpetim, et Orcivum juncti ineamus iter.
 15 Alterutrum at si forte Charon modo tollere amabit,
 16 functus adhuc vivi in corde superstes agat
 17 donec et hunc Hecate vocet ; una ac sede reponat
 18 ambo, unum - duo qui usque ante obitum fuerant

AD HARDUICUM GRYPHIUM.

A7_32 v.1 Spemne aliquam sperare jubes, Gryphi ? An te etiam ipsum
 2 deseruit tacito spes fugitiva pede ?
 3 Non ita, non, inquis. Quidnam ergo denique ? Spera
 4 porro etiam. At quam diu ? Numque bono cum aliquo ?
 5 Sic erit. Ah quid, erit ? Si non est. Nullus ego ! Hei mi,
 6 hei misero ! Cui spes tam procul : illa meae
 7 unica vitae anima atque animae rursus unica vita !
 8 Vita quidem ; at vivi nil nisi somnium iners.
 9 O potius quam sic vigilantem emortua spes me
 10 insomnis somni ludat imaginibus ;
 11 mors ades, et ferreo me sopitum hinc age somno
 12 invisus lethes merge voraginibus.
 13 Tum mihi securo nec erit sperare necesse ;
 14 et sperare nihil, maxima laetitia.

AD EUNDEM

A7_33 v.1 Si qua super misero spes ulla est, optime Gryphi,
 2 optima uti sperem vel bona certa, jube.
 3 A si nulla super misero vel specula, deinceps
 4 pessima uti metuam, vel mala certa, mone.
 5 Utrumque id fidei tuae erit, ne fallar utrimque,
 6 grandia vel sperans, vel metuens gravia.
 7 At si nec scibis ; sitne an non quid super : uno
 8 id quoque me verbo, quo sciam et ipse, doce.
 9 Nam tu si nescis, dein quid sciam ego ? Imo sciam dein,
 10 sperandum haud frustra, nec metuendum aliquid.

IN ALBUM MARTINI BRASCHL.

A7_34 v.1 Vis tibi dem numeros, Braschi, atque haud nolo ego. Sed quos
 2 dem numeros, placeant qui tibi, quique mihi ?
 3 Nec mihi quos libeat, nec quos tibi fas dare tali,
 4 invenio innumeros dum excutio numeros.
 5 Nec tamen et dandum nihil est. Quod si tibi nil dem
 6 hoc praeter, quo nil dico dare, an dem aliquid ?
 7 Certe aliquid. Tuque hoc aliquid tibi sume, nihil ne
 8 dem tibi, neque adeo tu tibi nil capias.
 9 Sed fallor, quamquam hoc aliquid quoque non capis, an vel
 10 antea habes, absque hoc non uti nil habeas ?
 11 Certe absque hoc aliquo haud aliquid. Verum hercule multum,
 12 ni ipse ego tibi sum nil, nihilove minus.

AD JANUM OSTENUM.

A7_35 v.1 Qui Venerem Sophiae dixit pugnare, quid ? An non
 2 hunc pugnare putes et Veneri et Sophiae ?
 3 Nimirum tu, Jane, putas, qui jam studio uno
 4 castra colis Sophiae et castra colis Veneris.
 5 Et verum tu, Jane, putas, recteque geris rem ;

6 nec modo rem recte, prospere eam imo geris.
 7 Felix imo etiam, imo et felicissimus audis,
 8 temporis uno et eodem unicus articulo
 9 qui tibi sponsam animo Sophiam ipsam jungis, et idem
 10 sponsam ipsam ducis in thalamum Venerem.

IN ALBUM CHRISTOPHORI RIBOVII.

A7_36 v.1 Hanc tibi do dextram, cum dextraque hunc animum do,
 2 Christophore, o cordis mutua flamma mei.
 3 Et satis hoc tibi sit. Nam quae tibi munera poscas
 4 plura dari, totum cum hunc habeas animum ?

XENIA AD PETRUM DARGARSIIUM.

A7_37 v.1 Munera me poscis : contra te munera posco,
 2 Cura recens animi, candide Petre, mei.
 3 Munera quae donem, et contra quae munera dones,
 4 grata mihi pariter, nec minus apta tibi ?
 5 De me : nil habeo, nec durae injuria sortis
 6 me praeter, quidquam mi reliquum voluit.
 7 De te : nil aliud, quanquam Fortuna benigna est,
 8 te praeter solum, dulce mihi video.
 9 Ergo ut digna tamen capiamus munera uterque,
 10 poscere quae libeat, solvere quae liceat ;
 11 Te posco mihi : Tu si vis ita, me tibi posce :
 12 te mihi si dederis, me tibi sponte dabo.

IN ALBUM JANI SANSTACI.

A7_38 v.1 Quam petis ecce manum hanc ; animum vis ? Hunc quoque dono :
 2 virtuti et sanctis qui sacer Aonisin,
 3 iis quoque sacratus simul est, quicumque feruntur
 4 virtuti et sanctis esse sacri Aonisin.

AD CORNELIUM MARTINUM.

A7_39 v.1 Vile tibi reddo, mihi qui non vile dedisti.
 2 En cape, ne donum vile tuum faciam.
 3 Magnus amor certe, minus ut sit pignus amoris :
 4 majus at hoc a te, nec tamen ille minor.

DE ME IPSO.

A7_40 v.1 Si fatis dolor ipse meis par esse, dolori
 2 si lacrumae, lacrumis si pote sint numeri ;
 3 et dolor et lacrumae et numeri mihi solum opus, una
 4 cura dolere mihi, flere sit, et canere.
 5 At fatis neque par nostris dolor esse, dolori
 6 nec lacrumae, lacrumis nec pote sunt numeri.
 7 Ergo quid doleam, aut lacrumer, cantemve, fatigans

8 corda dolore, oculos fletu, animum numeris ?
 9 Sed tamen hoc doleo et lacrumor cantoque fatigans
 10 corda dolore, oculos fletu, animum numeris :
 11 quod fatis neque par nostris dolor esse, dolori
 12 nec lacrumae, lacrumis nec pote sint numeri.

IN ALBUM NICOLAI WILLEBRANDI.

A7_41 v.1 Me tibi jampridem, memet, Wilbrande, meumque
 2 donavi aeterno junctus amore animum ;
 3 et tamen e roseis abeuntem desubito hortis
 4 carmina vis memores pauca dare in tabulas.
 5 Quid censes ? Ita versiculos et inania verba
 6 poscis, nec satis hoc esse putas, quod habes ?
 7 An quod habes, nescis ? An nunc discedere prorsus
 8 et totum fugere hinc credis Acidalium ?
 9 Nullus is hinc fugiet manet aeternumque manebit,
 10 parsque tibi nostri maxima perpetim adest.
 11 Tu quod habes, quod adest, retine ; et satis esse putato,
 12 nullaque dehinc petito carmina. Si facies,
 13 redde quod ante dedi, quod habes, quodque adfore dixi ;
 14 et vel mille dabo deinde tibi numeros.
 15 Aut si illud quoque non gratum est, hoc poscere cessa.
 16 Fallor, an id quod aves, dum nego, carmen habes ?

AD JANUM SANSTACUM.

A7_42 v.1 Quod modo, vix quanquam in spatio dum puberis aevi,
 2 vitam adeo dixi, Jane, mihi esse gravem ;
 3 miraris, causamque ab amico exquiris amice,
 4 voci tam crudae non sat habens fidei.
 5 At tu immaturum, verum tamen accipe verbum,
 6 nec fluxisse mage hoc serium ab ore puta.
 7 Sic mea res. Una et cur nolim vivere, causa est,
 8 quod causae mihi nil vivere cur cupiam.

IN ALBUM FRIDERICI GROTI.

A7_43 v.1 Tune meam, mellite puer, tibi vis quoque dextram ?
 2 En cape. At e dextra quid mea amabo boni ?
 3 Multum, inquis : tuque ipse adeo meus hinc mihi dextram
 4 dum das, te mi una, ut do tibi me ipse, dabis.
 5 Ha recte. Neque me tibi denego. Sim tuus, ut tu
 6 vis meus esse ; et amo te quoque, me ipse ut amas.
 7 Sed dextram hanc quotiens teneris spectabis ocellis,
 8 mi Friderice, haud jam te reputa esse tuum.
 9 Te mihi cum dederis, meus es ; neque adultior esse
 10 si renues, cupies juris ubi esse tui.
 11 Te captum semel aut ullo dehinc tempore mittam,
 12 corde tuum me tu firmiter usque tene.

IN VITAM HUMANAM.

A7_44 v.1 Festivum quod me memini olim audire puellum,
 2 cauponem in mundo summum agitare Jovem.
 3 Ille hominum saecula omnigenum late, ultimus orbis
 4 qua patet, hoc communi excipit hospitio.
 5 Ille alit, ille cibum curat cuique, ille propinat
 6 cuique suum, vitae in quo modus est, cyathum.
 7 Sed ne, hospes, sperato merum merum. Ibi aut sapor unus,
 8 aut color est ; mixta et turbida cuncta bibes.
 9 Nunc in laetitiam te animabunt dulcia, nunc te
 10 pocula in maerorem tristia dejicient.
 11 Sic est, quod miseris modo, mox felicibus, inde
 12 rursum etiam miseris dulcacidum aevum agitur.
 13 Sic sunt, cella Jovis quae vina dat ; ipseque semper
 14 miscet ita, et variis diluit omnia aquis.
 15 Scilicet an non hoc cauponum est ? Sed miseri nos,
 16 quos bibere ille etiam cogere caupo potest !
 17 Cogitque aeternum, e duro neque mittit abire
 18 hospitio, nisi nos cum ipse bibendo necat.

IN MORILLUM.

A7_45 v.1 Nemo hodie in medica felicior arte, sibi quam
 2 vitam qui aegrorum morte Morillus emit.
 3 Hunc o consulite aegra cohors ; propere illius alma
 4 morborum omne genus effugietis ope.
 5 Quae tangit semel, interfectis corpora morbis,
 6 mortemque et morbos amplius haud metuunt.

IN SABELLUM.

A7_46 v.1 Non culpas hominum, Sabelle, quemquam.
 2 Verum hoc. Et tibi ea una vera laus est.
 3 Sed rursum haud alium, Sabelle, quemquam
 4 laudas, te nisi solum, et unice unum,
 5 in quem omnes simul omnium, quod usquam est,
 6 laudes absque modo usque et usque transfers.
 7 Ut non quemquam igitur, Sabelle, culpes,
 8 dum te unum modo prodigo ore laudas ;
 9 an culpas alios magis, Sabelle,
 10 an vero potius, Sabelle, laudas ?

IN PONTICUM.

A7_47 v.1 Relligiosus homo es : plebs cuncta id Pontice novit,
 2 nec prae te usquam alius relligiosus homo est.
 3 Quicquid agis quocumque modo quo tempore cumque,
 4 ne quid agas nulla relligione, caves.
 5 Res bona, si semper tam sancto corde fuisti :
 6 verum te olim aetas longe alium loquitur.
 7 Tum tibi per fraudem rapere undique quidque, nec ipsis
 8 nulla fuit sacris parcere relligio.

9 Nunc bona, nulla olim quae relligione parasti,
10 tangere summa tibi, Pontice, relligio est.

IN PAPILUM.

A7_48 v.1 Bis sex annorum et ter ternas, Papile, vulgo
2 te numerare aiunt jam modo Olympiadas.
3 Nec tuus incessusque habitusque et forma reclamant,
4 cernere jam obstipo is qui silices capite.
5 Qui tamen est, quod in hac tam grandi aetate, nihil dum
6 pingit nigrantes nix tibi cana comas ?
7 Nescio an id certe est quod rumor sibilat, in te
8 Papile, candoris usque fuisse nihil ;
9 nuncque ipsos, ne vel minimum candoris haberes,
10 canitiem haudquaquam admittere velle pilos.
11 Sed certe hoc ipsum est. Namque en canescere tandem
12 dum metuunt, spernunt se a capite et fugiunt.

AD GALLUM.

A7_49 v.1 Bassam perlepada illam et eleganti
2 forma, Galle, juvenculam putabam :
3 nemo et visa aliter putare possit.
4 At tu, qui meliusque veriusque
5 judicare potes, cui illius res,
6 totaque, intus et in cute, ipsa nota est :
7 tu ducis vetulamque anumque Bassam,
8 et credi tibi, Galle, vis, quod ipsa
9 forma pernegat usque et usque Bassae.
10 Credam. Sed ratione dic tamen qua
11 credi tanta potest senecta Bassae ?
12 Contra, Galle, refers. Mea illa Bassa
13 annos jam tot habet juvena in ipsa,
14 virginem ut meminisse non queat se.
15 Ha, Galle, ha ! ratione si quidem ista
16 tuae aetas erit aestimanda Bassae,
17 numquam tu juvenem tuam ipse forsan
18 vidisti aut meministi habere Bassam.

IN FANNIUM.

A7_50 v.1 Magnus es in vulgo, Fanni ; me vulgus iniquus
2 despicit et duris vocibus exagitat.
3 Magnus et hic tibi honor, nec ovas vulgariter illo,
4 sic ut honore parem neminem habere putes.
5 Tum quoque me gaudes lacerari a plebe cavillis,
6 et gravius nulli dedecus esse putas.
7 Scin' quid ego interea mecum ? Mihi gratulor unum id,
8 Fanni, tam vulgo displicuisse tuo.
9 Cogito et hoc : tam mi male per convicia popli,
10 quam bene per laudes verbaque honora tibi est.

AD NINAM.

A7_51 v.1 Seu leve basiolum, levius seu basiolo quid,
 2 seu paulo potius quid volo basiolo :
 3 Nina, negas subito, vultuque austera minanti,
 4 acribus et verbis me procul esse jubes.
 5 Ah ten" tam duram misero ? Sic perdere amantem,
 6 usque adeo et rigido te juvat esse animo ?
 7 Parce precor : stabile et quoniam, mihi cuncta negare,
 8 tandem etiam o totum hoc, Nina, negare nega !

IN NAEVOLUM.

A7_52 v.1 Sic est, Naevole : cum tua illa primum
 2 vidi carmina, nec bonum Poetam
 3 verus te potui vocare censor,
 4 et malum timui tamen vocare.
 5 Per lusum ergo ibi tum jocumque, vatum
 6 dictus es mihi pessimus bonorum.
 7 Indignaris ut audio, levemque
 8 fers parum leviter jocum et moleste.
 9 At jam, Naevole, paenitet : recanto,
 10 censuramque meam auctor ipse damno.
 11 Serio tibi dehinc loquar, meamque
 12 mentem, ut sentio, serio fatebor :
 13 non vatum mihi pessimus honorum
 14 posthac, verum eris optimus malorum.

IN ATTALUM.

A7_53 v.1 Bella tua est sperata : id tecum aio, Attale. Verum hoc
 2 miror, si certo haec bella futura tua est.
 3 Scin' quot eam claro juvenes de sanguine sperent ?
 4 Haud, puto, te tantis praeferet illa procis.
 5 Subridens, nihil heic, inquis, scio adesse pericli :
 6 illa mea est, sperent ut reliqui usque suam.
 7 Nil est, quod dubitem : mens tota illius aperta
 8 intimaque uni adeo jam mihi cuncta patent.

IN RULLIUM.

A7_54 v.1 Linguam nemo putet tibi esse, Rulli,
 2 cum doctis quotiens quid est loquendum,
 3 quod doctum probet et probet disertum.
 4 De te res ubi fert loqui (sed usque
 5 de te, res ubi fert, ubive non fert,
 6 ad doctos loqueris parumque doctos,
 7 ad sanos loqueris parumque sanos)
 8 tam prompte loqui et his videre et illis,
 9 linguacissimus omnium ut puteris,
 10 linguam et nemo putet sibi esse Rulli.

IN PAETULUM.

A7_55 v.1 Paetule, formarum spectator es unicus unus,
 2 nec nisi iudicio est pulchra puella tuo.
 3 Tum quaecumque tibi pulchra est, venerare colisque,
 4 nec paene est, quae te non quoque mutuam amet.
 5 Una est in reliquis, quam nec pulchram esse, nec ullo
 6 aut colis, aut dignam ullius honore putas.
 7 Nescio quei cum aliis non convenit heic tibi ; nec te,
 8 credo, tui heic acies deficit ingenii.
 9 Certe ob formam aliis tanto est in honore, uti proni
 10 ante illam flexis se abjiciant pedibus.

IN ROSCIUM.

A7_56 v.1 Di male te perdant, Rosci. Quid te mihi jactas
 2 assiduo, et totiens exanimas miserum
 3 laudibus illautis, quas aegris auribus usque
 4 audire aeterna est carnificina mihi ?
 5 Desine magnifice nugari, aut me mihi misso
 6 dehinc alios, tua queis facta loquaris, adi.
 7 Sed me unum retines, et si fugio usque reprendis,
 8 et tua de te uno lingua tacere nequit.
 9 O utinam aut mutum te rosci, aut numina surdum
 10 me faciant, tu ne me totiens facias ?

UXOR PENSUM FLAGITANS.

A7_57 v.1 Pensum maritum flagitans maritalem
 2 uxor subinde ipsa meridie noctis
 3 palpante dextra suscitabat et voce.
 4 Ille oscitans arrigere nec valens quidquam :
 5 "Solvendo, ait, jam non sum. Ibi haec, bonis ergo
 6 cede, inquit. Appello, miser statim subdit.
 7 Rursum illa ; at appellare non licet noctu :
 8 vel solve, vel sit qui vicem tuam solvat."

IN CHOERILUM.

A7_58 v.1 Non ego culpo meis quemquam sermonibus, inquis
 2 Choerile ; et hoc uno nomine vir bonus es.
 3 Sed neque quemquam, unum praeter te, Charile laudas,
 4 rursumne hoc igitur nomine vir malus es ?
 5 Quei tamen et bonus et malus idem, Choerile, vir sis ?
 6 Certe nec malus es, Choerile, nec bonus es.

IN CALVUM.

A7_59 v.1 Cum nullam esse fidem dicas mihi, Calve ; quid a me
 2 quid totiens certam poscis inique fidem ?
 3 Cum mihi nec credas quidquam, nec credere possis,
 4 efficere, ut credas, qua ratione queam ?

5 Hoc cape chirographum, dextrae inviolabile pignus,
 6 signa in quo fidei do tibi certa meae.
 7 Nunc igitur credis mi, et credere posse fateris,
 8 nec dubitas veram rite dedisse fidem.
 9 Quid dicam ? Non huic, fidei qui certa fidelis
 10 signa dedit ; deerat sed tibi, Calve, fides.

IN POMPILIUM.

A7_60 v.1 In numeros mihi se numeros saepe unius horae
 2 in spatio jactat fundere Pompilius.
 3 "Tamque, inquit, fluida est mihi vena, ita Apolline dextro
 4 mi sine cura omni carmina suppeditant."
 5 Mirer Pompilium aut dubitem ? Credo, hercule, quando
 6 auctorem mi ipsam rem ipse dedit totiens.
 7 Miror item : innumeris quoniam visus mihi nullus
 8 vel modus est, vel pes, vel caput in numeris.
 9 Et quidni innumeris numeros se fundere jactet,
 10 cujus tam extra omnem sunt numerum numeri.

IN CANIUM.

A7_61 v.1 Ad cenam Canius vocat undique quemque per urbem
 2 reperit : ad cenam nempe venit Canii.
 3 Mirum id, cum Canio vivat non lautius ullus :
 4 cenare at laudes nemo cupit Canii.

IN TRAUULUM.

A7_62 v.1 Non vatem nego te, nec es negandus,
 2 Traule ; at hercle neque id potest negari,
 3 vere olim mihi dictum et haud maligne :
 4 vatum te esse modo infimum bonorum.
 5 Tu negas tamen, et tibi invideri
 6 clamas, cui potis invidere nemo est.
 7 Verum hoc si invidia est, vocare vatem,
 8 imum et dicere, Traule, te bonorum ;
 9 hoc sit judicium quod et probo ipse,
 10 et nemo improbat eruditiorum ;
 11 absque omni invidia vocare vatem,
 12 summum et dicere, Traule, te malorum.

IN INCREDULUM.

A7_63 v.1 Cum sine chirographo credas, incredule, credi
 2 posse nihil, credis hoc sine chirographo ?

AD QUINTIAM.

A7_64 v.1 Dixi te Venerem, atque ultra ipsum Amathusidos orbem
 2 te evexi lepidis, Quintia, carminibus.
 3 Dixi majorem te Cypride, Quintia, per me et

4 pastoris Phrygii futile iudicium est.
 5 Digna mihi tanto quae praemia nomine reddes,
 6 Quintia ? Da saltem ut in te habeam Venerem.

IN BRUSCUM.

A7_65 v.1 Quid tot criminibus, rabiosae fulmine linguae
 2 femineum incessis, Brusce proterve, secus ?
 3 Desine clamorem. Nam quo convicia tanta ?
 4 Unum pro cunctis sat tibi criminibus.
 5 Uno hoc nil gravius, quo uno simul omnia dices :
 6 te talem genitrix femina quot tulerit.

IN TROLLIUM.

A7_66 v.1 Divini mentem Theophrasti jactat habere
 2 Trollius, aureola clarus ab arte senex.
 3 Jactat Trollius, et credit plebs inscia ; rident,
 4 queis vel aceti acri in pectore tantulum inest.
 5 Rideo ego cum illis : merito. Nam qui Theophrasti
 6 mentem habet, an quaeso mentem habet ille suam ?

IN CHRYSALUM ALCUMISTAM.

A7_67 v.1 Miramini, cives, ubi ille paulo ante
 2 tantis abundans opibus, omnium sed nunc
 3 extreme egens, tam subito ad incitas actus,
 4 tam divitem perdiderit Chrysalus gazam ?
 5 Decoxit : at non quomodo solent vulgo.
 6 Arte ipse, non luxuria et otio turpi
 7 rem fregit, in fornace Chymica magnis
 8 sese occupans laboribus diu noctu.
 9 Mirum sed id quoque per laborem et artem quei
 10 sit pauperatus, ceteri unde ditescunt ?
 11 Nequit esse mirum hoc : ars enim et labor solus,
 12 studium unicum fuit usque Chrysalo vestro,
 13 ex aere fumum facere, rursus et e fumo
 14 facere metallum, operae reciproco anfractu.
 15 Itaque aureos grumos sibi nitelasque
 16 dum quaerit e fornace, quidquid infelix
 17 habuit bonorum, percoquendum avaro igni
 18 projecit, et damnavit improbo fumo.
 19 Nunc e favillis eque cinere carbones
 20 legit nigrantes pro nitente thesauro.

IN OLLUM.

A7_68 v.1 Nullius paene ingenii dixti esse, superbe
 2 quod jam annos plures, Olle, minaris opus.
 3 Credo equidem : et dubitat nemo, quod cuserit Ollus,
 4 Olle, fore id vere nullius ingenii.

IN HILLUM.

A7_69 v.1 Dum te oculis mage amare suis se blandia dicit ;
 2 dum, mi ocule, assidua voce tibi ingeminat :
 3 sese oculis mage amare tuis te Blandia cogit,
 4 et, mi ocule, aequali voce sibi ingerere.
 5 Inde his blanditiis blandum te ut blandia fecit,
 6 maxima fert blandis praemia deliciis.
 7 Muneribus mox laeta : "Ocule o mi, o mi, inquit, ocelle."
 8 Usque tibi et solitas blanditias iterat.
 9 Hille, nihil sentis ? Non te sed munera spectat ;
 10 non oculis capitur Blandia, sed loculis.

THERMIONILLA AD JUVENTIUM PHILOCURUM.

A7_70 v.1 Cui mea forma placet pariter, formaque placere
 2 qui mihi, formoso candidus ore, studes ;
 3 victus ut es veluti forma, sic me quoque forma
 4 vincere, formoso callidus ore, queas ;
 5 hoc tibi transmitto, juvenis formosule munus,
 6 munus et ut capias Thermionilla precor.
 7 Munus vile quidem, sed quo magis utile nullum
 8 aut possit votis aptius esse tuis.
 9 Formosus cupis esse, cupis formosus haberi :
 10 ut sis, hac formam conciliabis ope.
 11 Ut placeas mihi, conaris , conare, placebis ;
 12 ut capias, tendis retia ; tende, capis.
 13 Tende, capis : formaeque novo, quem quaeris, honore
 14 me vinces, quae te viceram et ipsa prius.
 15 Vinces me ; aut potius, quando hoc me munere vinces ;
 16 me vincam, quae te viceram et ipsa prius.

AD PSYCHEN.

A7_71 v.1 Hinc oculi ? Per quos vibrans sua spicula Cupido
 2 saeva meis fixit vulnera pectoribus ?
 3 Hosne oculos mihi vita negas, e lumine quorum
 4 haurio grata meis pharmaca vulneribus ?
 5 Hosne oculos ego ferre queo, de nectare quorum
 6 attraho dira meis pabula vulneribus ?
 7 Fatales oculos ! Qui vulnera, quique medelam,
 8 atraque dant laesis toxica pectoribus.
 9 Tu tamen hisce oculis quae me perdisque juvasque,
 10 perde juvaque tuis me, mea lux, oculis.

AD VENERILLAM.

A7_72 v.1 Lux mea, quo tam mane ? Mane : nondum orta refulsit
 2 diva polo in rutilis Leucothoe rotulis.
 3 Sic ego, sic mea lux. Abeo. Jam praescia lucis
 4 clarisono cantum gutture dat volucris.
 5 Haec monet Auroram Tithoni abscedere lecto ;

6 nos Aurora torum deseruisse monet.
 7 Tantum ait, exsiliitque toro : simul aequore ab alto
 8 aurora uvidulas visa referre genas.
 9 Ast ego. Sis Aurora aliis, sis aurea lucis
 10 Mater : mi noctis flebilis es genitrix.
 11 Lucem aliis Aurora feras ; Aurora tenebras
 12 fers mihi, dum lucem cogis abire meam.

EPIGRAMMATA ALIQVOT GRAECIS LATINA. RUFINI.

A7_73 v.1 Hanc sertam Rhodoclea tibi pulcherrima mitto,
 2 ipse meis tibi quam composui manibus.
 3 Lilia sunt, roseusque calyx, suavisque anemona,
 4 sunt cum Narcisso pallidulae violae.
 5 Hac ornata comas animum depone superbum :
 6 floret ut haec, flores ; ut perit illa, peris.

EIUSDEM.

A7_74 v.1 Usque negat se ardere Melissias ipsa, sed ardet ;
 2 hoc facies multis usta docet facibus.
 3 Hoc gradus instabilis docet, hoc vagus oris anhelii
 4 spiritus, hoc trepidis moti oculi ciliis.
 5 At vos illam acres Paphiae genitricis Amores
 6 urite, donec Amo, donec Amo ingeminet.

EIUSDEM.

A7_75 v.1 Maeonin ut vidit Juno, viditque Minerva,
 2 utraque continuo his vocibus insonuit.
 3 Ne jam nudemur ; sat pastor is arbiter unus :
 4 iudicio formae turpe bis excidere.

EIUSDEM.

A7_76 v.1 Lumina Junonis tibi sunt, tibi dextra Minervae,
 2 sunt Veneris mammae, sura tibi est Thetidos.
 3 Qui videt o felix ! Qui te audit, o ille beatus !
 4 Semideus sed amat ; sed qui habet, ille deus.

MELEAGRI.

A7_77 v.1 Ternae sunt Charites, ternae Horae ; ac me quoque triplex
 2 femineo torquet saevus amore furor.
 3 Ipse et Amor ternos capit artus, ceu ferus in me
 4 perdere non unum sed tria corda velit.

EIUSDEM.

A7_78 v.1 Ignem ipsum si quis cupis urere, sive quis igne
 2 expetis extinctas rursum animare faces.

3 Huc age, ab hac anima flammam rape ; namque mihi intus
4 flagrat multifidis cor trepidum faculis.

ANTIPATRI.

A7_79 v.1 Ne lacrumis speres, Telembrote, flectere Amorem :
2 haud paula vehemens stinguitur ignis aqua.
3 Uno auro mollescit Amor ; nam tum nec in undis
4 deperiit, natus cum fuit in pelago.

CALLINII.

A7_80 v.1 Prole et luce carens, prolem lucemque precatur
2 femina ; sollicitis et potitur precibus.
3 Mox etenim prolem parit, et sub tempore eodem
4 lucem haurit, sanis perfruiturque oculis.
5 Duplex auxilium hoc uni attulit Artemis una,
6 dans oculis lucem, dans utero subolem.

RUFINI.

A7_81 v.1 Non amor is vere est, si cui bona forma puellae
2 ridet, et intentis si appetit hanc oculis.
3 Sed qui deformem videt, atque Cupidinis oestro
4 percitus insano deperit illam animo,
5 ille amor, ille ignis vere est. Nam forma decora
6 et stultos pariter permovet et sapidos.

AGATHIAE.

A7_82 v.1 Lux mea si citharam sumit, canit aemula carmen,
2 Terpsichore argutis quale canit fidibus.
3 Lux mea si in grandes assurgit voce cothurnos,
4 Melpomenae tragicos par ciet ore modos.
5 Lux mea si forma certet, formam ipsa Dione
6 vel Paride Idaeo iudice non fuperet.
7 Lux mea ... Sed taceo, ne te o Ariadna, Lyaeus
8 mox Ariadnaeos transferat in thalamos.

MACEDONII.

A7_83 v.1 Triste mihi ulcus amor : sanies fluit ulceris uda
2 lacruma, nec siccum vulnus habere datur.
3 Nec sanare malum quisquam potis ; ipse Machaon
4 nil profecturis pharmaca det manibus.
5 Telephus, en, sum Nympha ; mihi esto fidus Achilles,
6 quaque dabas forma vulnus, opem referas.

SILENTARII.

A7_84 v.1 Jurabam, mea lux, procul a te solus abire
 2 hinc ad bissextam, o Juppiter ! usque diem.
 3 Sed miser haud potui, et saltem lux altera venit,
 4 et procul, o procul, est lux decima : heu procul est !
 5 Tu mea, posce Deos, perjurus ut ipse reorum
 6 ne memores referar continuo in tabulas.
 7 Meque favore tuo refove, ne hinc inde flagellis
 8 torquear infelix : hinc Superum, inde tuis.

EIUSDEM.

A7_85 v.1 Qui prius in viridis jucundo vere juventae
 2 duro animo, Veneris dulce jugum renui.
 3 Hactenus a jaculis qui vixi illaesus Amorum,
 4 Cypri, fere canum, en, nunc tibi dedo caput.
 5 Suscipe me et gaude. Doctam mage namque Minervam
 6 nunc superas, pomo quam prius Hesperidum.

POSIDIPPI.

A7_86 v.1 Sedi inter binas solus mediusque puellas,
 2 hanc illarum adamans, isti adamatus ego.
 3 Sed me adamans me attraxit : ego rursum ut tacitus fur,
 4 clam rapui alterius basiolum a labiis,
 5 vicinae fallens oculos : ne me incita zelo
 6 carperet, aut penitus rejiceret miserum.
 7 Hinc dixi commotus : amari triste, ut amare est ;
 8 utque amor hic geminus, poena mihi haec gemina est !

EIUSDEM.

A7_87 v.1 O saevum hoc desiderium, precor, Heliodorae
 2 tolle Amor : en supplex fit mea Musa tibi.
 3 Obsecro per tua tela, alios indocta ferire,
 4 sed nimis heu pectus docta ferire meum.
 5 Quod si me occides ; versum hunc mea fata loquentur :
 6 ecce trucem caedem, en hospes, Amoris opus.

MELEAGRI.

A7_88 v.1 Praedico crudelem, crudelem praedico Amorem,
 2 Jam jam etenim summo mane toro exsiliit.
 3 Dulcacidus puer est, et garrulus, est celer alis,
 4 risum amat, est audax fert humero pharetram.
 5 Sed patre quo genitus sit non scio. Namque nec aether,
 6 terra nec hunc genuit, nec genuit pelagus.
 7 Omnibus est, et ubique odio. Sed ubique cavete,
 8 ne qua alios tendat forte animis laqueos.
 9 Et sane ecce novas latebras : non me latuisti
 10 callide, Zenophilae in luminibus residens.

AGATHII.

A7_89 v.1 Saepe vale tibi dicturus, mox retraho vocem,
 2 et taceo et tecum perpetuum maneo.
 3 Namque tui grave discidium sic horreo, ut ipsum
 4 Orcum Acheronteis horreo cum tenebris.
 5 Clara dies mihi sunt oculi tui ; at hi quoque muti ;
 6 oris sed blandum me beat alloquium.
 7 Illud carminibus Sirenum dulcius, a quo
 8 spes animae pendet vivaque vita meae.

EIUSDEM.

A7_90 v.1 Ipse merum haud cupio ; at si vis haurire merum me,
 2 tu prior id gustans, da mihi, et accipio.
 3 Namque tuis labiis si libes, sobrius esse
 4 non queo, pincernam aut spernere tam lepidam.
 5 Suaviolum ipse tuo cyathus mihi portat ab ore,
 6 quemque favorem hausit, nuntiat inde mihi.

DIONYSII SOPHISTAE.

A7_91 v.1 O utinam ventus fiam, tuque aera captans
 2 spirantem nudo pectore me excipias !
 3 O utinam Rosa sim, tua me quo dextera carpat,
 4 insertumque sinus candiduli foveant !
 5 O utinam niveum sim liliū, ut et teneas me,
 6 lumina et adspectu nostra tuo saties !

MAECII.

A7_92 v.1 Juravi binas noctes procul igne meo ignem
 2 ferre tuum ; at rides Cypria, jamque meum
 3 praenoscis bene certa malum ; nam relinquere amicam
 4 non queo, et in ventos dicta mea effugiunt.
 5 At peccare ob eam potius volo, quam tibi servans
 6 juratum, infausta prae pietate mori.

EIUSDEM.

A7_93 v.1 Quid tristare, comam saevoque quid ungue, Philaeni,
 2 vellis, et humidulis projecis imbrem oculis ?
 3 Anne aliam fovet in gremio male fidus amator ?
 4 Dic age : laeta ferēs pharmaca tristitiae.
 5 Fles tamen ? Atque taces ? Frustra illa negare laboras ;
 6 vana fides linguae, certa sed est oculis.

ANTIPATRI.

A7_94 v.1 Mane mea hinc Chrysilla abiit, dum nuntia lucis

2 excitat Auroram voce sua volucris.
 3 Galle, peri, inter aves reliquas nimis invide, qui tam
 4 crebro abigis molles hinc mihi delicias.
 5 Tu quoque jam, o Tithone senex ! quid enim tua conjux
 6 se tam mane tuo proripit e thalamo ?

SILENTARIUM

A7_95 v.1 Nec rosa eget sermo, nec tu pulcherrima peplo :
 2 nil facit ad nitidas gemmea vitta comas.
 3 Gemma tuo sordet superata colore ; nec aurum
 4 quit vel inornatae ferre comae radios.
 5 Inda quidem excellit rutilo splendore hyacinthus,
 6 at splendore tui est luminis inferior.
 7 Roscia quin labia, et mellito tincta lepore
 8 Harmonia, est divae cestus Acidaliae.
 9 Omnibus hisce domor, solis oblector ocellis,
 10 e quibus effulgens spes mihi clara micat.

IN MOMEN ACIDALII EPIGRAMMA.

A7_96 v.1 Vix te naturae laxatum carcere caeco
 2 Lucina aethereis haustibus imbuerat,
 3 nectareo tenerum mox lustrat Juppiter imbre,
 4 Musae Castalio purificant latice.
 5 At Venus, haud satis hoc, tacitis immurmurat auris :
 6 "Tu quoque, tu nostro aspergine lautus eris."
 7 Et simul infantem leni complexa susurro
 8 obstetricantis surripit e manibus,
 9 fontis Acidalii ponens juxta alma fluente,
 10 qua in medio Charitum ludit amicus Amor.
 11 Heic tibi blandidulosque oculos, et saepta labrorum,
 12 molliculasque manus, molliculosque pedes
 13 abluit aspersu undarum, internosque recessus
 14 irrigat, et succum stillat in ima animi.
 15 Stillat in ima animi : "Et meus ergo vocaberis, inquit,
 16 matris Acidaliae fetus Acidalius.
 17 Nomineque ut notus nostro, sic ipsa vicissim
 18 nomineque et genio mox ero nota tuo."
 19 Applausere cohors Charitum, nomenque iterarunt,
 20 "Vivat Acidalius, vivat Acidalius".
 21 Fallor an hic patris fusus tinnitus in aures
 22 indidit inde tibi nomen Acidalii !